


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

53. – 42.

Har tilhört Hans Mikkelsen Raun. Pal

LN 666
ex. 1
M.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

C. Erasmus Laetus in Epistola Dedicatoria praefixa Rerum Danicarum Libris XI. c. 2.

Nihil a. commodius est pace, nihil moderatione utilius existit in humano genere: de qua re in Moralib. colloquiis nostris, & iis quos de re Nautica scripsimus libris, pluribus sane in locis a nobis disputatum est.

242.?

De Cimb. Erasmi Mich. Laeti promotione ad doctoratum haec subscripta habentur in declamationibus Philippi Melanthonis p. 415. Responsio Vicecancellarii.

Cum a. ego & collegae mei hos doctos & pios viros audiverimus, Paulum Eberum, Erasmum Laetum, Johannem Cogelerum & Paulum Crellium, & perhibeamus eorum eruditionem, mores & piam confessionem, ego authoritate, qua hoc tempore fungor, judico dignos esse honorifico testimonio, & tribuo eis licentiam & potestatem accipiendi gradum & ornamenta doctorum in Theologia. etc.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Ex libris legitimus est Michaël Joannis Bassij

Emptus Sorry ... Marcis. a°. 79.

C. ERASMI MICHAELII LAETI,

Colloquiorum Moralium LIBRI IIII.

AD Illuſtriſsimum & Sereniſsimum Principem & Dominum, D. CAROLVM *Calabriæ & Lotharingiæ* DVCEM, *&c.*

Miserere



Peccavi.

BASILEAE, EX OFFICINA Oporiniana. 1573.

Jo. Gramm...

3888

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1



INSIGNIA D. DOCTORIS ERASMI LÆTI.
quæ ei concessæ sunt à clementissimo Regi nostro
D. FRIDERICO II.

Nobilis est verè, quem nobilitat sua Virtꝰ.

B.R.H.
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

*ILLVSTRISSIMO ET SERE-
NISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
D. CAROLO, Calabriæ, Lotharingiæ, Barenſi & Gueldren-
ſi Duci: Panthomanſenſi & Vidmarenſi Marchioni: Prouin-
ciæ, Vedemonti, Blanckenburgi & Zuthphaniæ
Comiti: Domino ſuo Clementiſ-
ſimo, S.*

VARIA eſt & frequens, Princeps Il-
luſtriſsime: hæc inter ueteres ple-
runque Diſputatio: Inſit'ne uirtus
per Naturam homini: an doctri-
narum ſtudijs uſuque præceptorũ
cõparari illa, & aſſueſactionibus
induci in naturam, ueraque tandem
ratione exiſtere ac cõfirmari poſ-
ſit. Qui illam nobis natura ineſſe unaque nobiſcum na-
ſci aſſerunt: hoc ſe moueri argumento ſcribunt maxi-
mè: quòd ijs etiam in gentibus, quæ Barbaræ omni-
nò ciuilioribus ſunt ſemper habitæ: quibusque nullus pe-
nè aut doctrinarum aut præceptionum uſus eſſet: præ-
clara ſe momenta ad uirtutem reperiſſe: imò uirtutum
actiones multo etiam clariſsimas & à ſe conſpectas ſæ-
pius, & uulgo frequentatas eſſe teſtati ſunt. huic ſentẽ-
tiæ patrocinari inſtituta uſusque uitæ eorũ: qui cùm ſcri-
ptis utantur nullis legibus: honeſta tamẽ ita conſectan-
tur pleraque: ut & parentes honorãdos, ut punienda fur-
ta, & ueritatis uſum ante omnia ſibi colendũ conſeruã-
dumque ac retinendum eſſe arbitrentur. Qui eam doctri-
na comparari, acquirique exercitatione poſſe ſtatuunt:
in iſtam planè quæ priori aduerſa eſt, ſententiam pro-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

labi:ita demum conſpici uirtutis uſum, ſi doctrinæ be-
neficio atq; induſtria præceptorum, ad ea quæ decora
quæq; recta ſunt, inſtituamur: nec aliter quàm hac inſti
tutionis diligentia illud nobis quod in uita πρέπον ſalu-
tareq; eſt & expetendum, uel patere unquam, uel gra-
tũ inter mortales poſſe reperiri. Id ſe latiſsimo hominũ
uſu ac tota naturæ ciuilitatisq; conſideratione aſſerere
& cõfirmare, productis interim in theatrum exemplis,
ijsq; ſanè plurimis eorum hominum, qui etſi iunctim
habitent, cœtusq; magnos colant: minus tamen ea quæ
officij ac humanitatis fuerint, perficiũt: propterea quòd
quæ uel officij uel humanitatis ratio, quiq; limes actio-
num uitæ ſit, perſpicere ſanè illi ac iudicare nequeant:
propterea quòd, ut aliter omninò agerẽt, nullo nec præ
ceptorum uſu nec aſſuefactione inſtituti ſint. Atq; hoc
quidem illi modo inter ſe diſſentiunt. Collimando autẽ
pars neutra metã ferit. Si enim in ipſam rei naturã pro-
pius uereq; etiam reſpicias: equidem ita deprehendes:
Natura ipſa ineſſe ad uirtutem ſemina: earumq; funda-
menta fundamentis naturæ copulata eſſe: ſed inducta
oppreſſaq; latere calamitatis atq; errorũ tenebris: qui-
bus detergendis excutiendisq;, præceptionum formis
opus eſt. Itaque accedere doctrinam, quæ Naturæ lu-
cem patefaciat: eiusq; beneficio & ſemina uirtutum
elici, & excitata flecti: ut non cæco protinus inhuma-
noq; impetu declinent auferanturq; in cupiditates: ſed
moderatione quadam ceu freno conſiſtant intra præ-
ceptorum metas: in quibus & actionum dignitas, & di-
gnitatis ratio expreſſa & demonſtrata eſt. Ita de uirtu-
tibus modeſtiores omnibus ætatibus locuti ſunt. Nec
dubito

dubito ſententiam hanc ſpectauiſſe omnes, quotquot inde ab humani generis inicio, monendo ſcribendoq; hortati iuuentutem ſunt ad uirtutis atq; actionum decus: eoq; fine & præcipiendi diligentiam & corripiendi aſsiduitatem ſibi deſumpſiſſe: ut inſtitutis diſciplinę homines redderent ad ea, quæ honeſta ſunt, facienda cuſtodiendaq; habiliores. Et quidem id ſi literarum ſtudijs ac monendi aſsiduitate perfici nequaquã poſſe exiſtimauiſſent: quorſum quæſo aut ſcribendi retuliſſent diligentiam, aut monendi ſolertiam curamq; diſciplinæ ſibi conuertendã ſuſcipiendam'ue eſſe putauiſſent? Itaq; & rectè hæc quidem ſunt opinati: & præceptorũ uſu, id quod decretum cõſtitutumq; erat, egregio quodam animi ob uictoriã applauſu in multis etiam ingenijs interdum conſecuti ſunt. Sic Socrates philoſophię præceptis ſibi cupiditatis illecebrarumq; ſtudium deterſum emendatumúe eſſe retulit. Sic alios ipſe quoq; à ſcelerũ licentiæq; deformitate reflectere auocareq; conatus eſt. Quantum quæſo momenti in Platone eſt ad uirtutem actionumq; omnis generis incrementa? Iam Ariſtoteli quis ſcopus quæq; doctrinæ meta fuerit, cũ Moralis diſciplinæ formam quandam & Methodum perſpicua luculentaq; ratione complecti aggreſſus eſt, dubitari ab eruditis non decet. Certè Cicero ipſe cum diuinum illud Officiorũ opus filio inſtituendo accommodat tranſmittitq;: nõ tantũ id ſpectaſſe eum putandũ eſt, ut lectis paternis ex ueteri Stoicorum ſchola ceu prolatis ſcriptis, orationẽ ipſe, ſi cum græcis illa quoq; coniunxiſſet, omninò faceret, ut Marcus inquit, pleniorem: ſed id potius ab eo actum quæſitumq; eſſe ſtatu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

as:ut filium diſciplina ac præceptis morum inſtitueret
ad Virtutis ac Decori pulchritudinem & ſuauitatē: ne
cum ſummum illo tempore Magiſtrum Græciæ Athe
nis audiuiſſet: linguæ quidem eius uſu cultior: aut reli-
quis doctrinæ partibus inſtructus auctusq; reuertere-
tur: morum autem præceptis deſtitutus minus gratam
minusq; expectatam Romanis ciuibus referret uitam:
quo quidem crimine inuri filij ſtudia non oportere cen
ſuit. Itaq; illum ſcripto ita admonet: ut quamuis iſtic di
ſciplinis liberalibus incumbat præceptore optimo: ſic
tamen reuerti ad ſuos uelit: ut non tam linguę addiſcen
dæ cauſa, quàm ſapientiæ ac diſciplinæ morum compa
randæ deſiderio in Græcia abfuiſſe omninò uideretur.
Sub Imperatoribus doctiſsimis Plutarchus Cherrone-
us uixit: qui ut eleganter multa, ita hoc conſtanter per-
ſuadere tutariq; conatus eſt: doceri uirtutes poſſe. cu-
ius quidem ſententia quo modo quaq; ratione admit-
tenda ſit, ex ijs quæ iam diximus, intelligi & deprehen-
di poteſt. Quid Zenophontem, quid Hiſtoriarum ſcri
ptores referam? Iam Poetas omnes reſpice: quorū alij
alia ratione præcepta uiuendi morumq; regulas com-
plexi ſunt. Quid uniuerſa illa, quæſo, Iuris Legūq; pro-
feſsio agit aliud, quid molitur aliud, quàm honeſtam
quandam uiuendi conſuetudinem, morumq; ac con-
uerſandi ſuauitatem, cum Tranquillitatis uſu ac iucun-
da ſocietatis humanæ uſurpatione in hanc Ciuilem ho-
minum ſocietatem introducere? Deniq; ut hæc miſſa
hoc in loco faciam: quid Moſes, quid Morales iſti ex
Moſe docti omnes, Salomon, Syracides & alij: poſtre-
mò quid Chriſtus, quid Apoſtoli omnes: niſi ut docen

do

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

do admonendoq́; pietatem & uirtutes perſuaderent hominibus: quod niſi utiliter fieri poſſe putauiſſent: equidem & illos inciuiliter, & hos perperam huiuſmodi quidem laborum atq; admonitionis aſsiduitate uel fatigaſſe ſe uel obruiſſe exiſtimares. Poſſe igitur docendo adhortandoq́; uirtutum ſtudia in animis hominum excitari perſuaderiq́;, extra controuerſiam eſt. Multiplex autem ſemper fuit eruditis ſapientibusqúe uiris ad hanc rem perficiendam conatus, induſtria & pertractatio: aliįqúe aliįs modis neceſſariam hanc doctrinam explicare proponereq́; aggreſsi ſunt. Vt enim de aliįs nihil hoc in loco dicam, Græcos ſolos uide: qui cũ homines prudentia & Rerumpublicarũ uſu eſſent inſtructiſsimi: hanc ſibi quiſq; docendi rationem conſectandam eſſe cenſuit: qua iuuentutem facillimè à uitiorum deformitate ad uirtutis pulcritudinem traduci commoueriqúe poſſe opinatus eſt. Homerus Batrachomiomachia ſua ita luſit: ut non minimam doctrinæ Moralis partem etiam in ludicro illo (ſi id tamen eius ſit, quod nunc in uſu doctis eſt) opere complexus eſſe uideatur. Heſiodus præcepta apertiora poſuit. Poſt hos Pythagoras ſingulis penè uerſibus ſingulas ſententias complectitur: aureas certè, non tantùm quòd his pretium ſenſiįt rependi auro maximum: ſed multo magis, quòd aureum inducant modum regulamq́; moribus: quibus quæ uita uera, humanaq́; & aurea demum ſit, uerè utiliterqúe omninò inſtituatur. Pythagoræ breuitatem ſuppleuerunt prolixiore quodam præceptorum numero Phocylides, Theognis, & aliį: quorum hæc plerumque erant doctrinæ inſtituta & præ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

ceptionum finis: ut recto manifeſtoq́ orationis ductu
uitæ morũq́ regulas in Scholas cœtusq́ & uſus homi-
num inducerent: eamq́ diſciplinę partem uenuſto prę
ceptorum ordine iuuentuti præcipuè aſſererent ac cō-
mendarēt. Cum his, aut paulò etiam uetuſtior (id enim
ipſe uidetur Socrates oſtendere) Aeſopus uixit: pa-
tria quidem Phryx, formaq́ corporis ridenda & inciui
li: ſed animi uirtutumq́ ſtudijs inter primos habitus,
qui tum authoritate laudeq́ ſapientiæ præclaram do-
ctrinarum profeſsionem nomenq́ tuebantur in Græ-
cia. Is cum eandē ingreſſus eſſet uiā ad flectendos infor
mandosq́ iuuentutis animos ad morum uitæq́ atq́ a-
ctionum omnium elegantiam atq́ humanitatem: alio
tamē modo alijsq́ inſtitutis id ſibi negocij tentandum
perficiendumq́ eſſe cenſuit. Argumentorum igitur for
ma perſuadendiq́ genere diſsidente à priorũ penè om
niũ & cōſuetudine & uſu, ad eā rem uti omninò uoluit.
cumq́ aliud interim uideretur agere: illud ſanè quod
maximum quodq́ maximè agendum eſſet, cumprimis
etiam & pręclara omninò cum ratione egiſſe deprehen
ditur. fabulas cōfinxit mutuis quibuſdam rerum natura
lium inter ſe colloquijs: quibus cum rerum uariarum,
animantium, arborum, aquarumq́ & id genus aliarum
naturas contuliſſet: orationis illarum forma ac conſi-
liorum exitu maximā doctrinæ moralis partem, quan-
tum illa quidem in uitæ actionibus euentuumq́ diuer-
ſitate poteſt conſpici, in uſum morum intulit, uitæ-
que & priuatæ certè & publicæ magna cum dexterita-
te accommodauit. Nec harum minor erat fabularum
uſus authoritasq́ poſtea in Græcorum Scholis, quàm

præcepto-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

pręceptorũ: id quod doctiſsimorum hominum ſcriptis ac teſtimonio ſemper comprobatum eſt. Sed & ueterẽ fuiſſe conſuetudinem exiſtimo, huiuſmodi ſanè fabularum luſibus res maximas in Rebuſpublicis atq; actionum diuerſitatibus complecti atq; adumbrare. Notum eſt quo pacto Iotham frater Abimelech affatus aliquãdo eſt uiros Sichẽ: & quali uſus orationis forma, euentũ crudelitatis uel prædixit illis uel imprecatus eſt, qui & poſtea euenit. Fabulis enim uſus, deducto ab Olea, Ficu, Vite & Rubo cum cæteris arboribus colloquio, rem momenti maximi in auribus habitatorum Sichem egregiè elocutus eſt. An'ne huc Prophetæ Natan cum Dauide Rege de Ouibus ouiculaq; pertineat oratio? Iam Demoſthenis Canes Lupiq; ex ipſo noti ſunt: firmiſsimo tum propemodum pręſidio, quo contra ſpem mandataq; Philippi, inter Athenienſes iam turbatos conſtitit. Valerij autem uirtus induſtriaq; ex ipſo Liuio perſpecta eſt: qui qua fabula uſus concordiam cum patribus furenti tum & diſsidenti plebi reſtituerit, ex eo, quem dixi, authore cognoſcatur. Deniq; omnibus ætatibus uiri principes & Rerumpublicarum gubernatores maximi, Apologorum accõmodationibus delectati ſunt: cum uel ipſi ſibi fortaſſe tribui cõcediue aut expediri quiddam optauiſſent: uel alios monendo, aut terrorem ob maleficia, aut ob uirtutes laudem, aut ipſam deniq; mandati rationem tacitè obliqueùe oſtendere ac confirmare uoluiſſent. Cum igitur & ego aliquã Moralis doctrinæ partem, quà in uitæ uſus morũq; gubernationẽ illa ducitur, cõplecti ſcripto uoluiſſem: uiſa

mihi perbellis ſanè & accommoda hæc eſt ratio: ſi quæ præceptis latè comprehenſa ſunt in authorum libris: in qúe dies maiora ſanè & uberiora prodeunt in uulgus: lepido hoc & concinno Colloquiorum uſu in praxim uitę hominum, ueluti in morum atq; actionis theatrum perducerem: quòd ita demũ perſpici cogitariqúe multa poſse duxerim, quæ uitæ gubernarent mores: ſi tanquam uiuo quodam diſputantium conflictu, uel oppugnaretur uitiorum deformitas, uel uirtutum pulchritudo actionumqúe honeſtarum claritas, eximio quodam & luculento orationis genere commendaretur. Contuli igitur in hanc ſcriptionis formam Argumenta maxima ſanè & in uita hac Ciuili Aulicaq; cũprimis neceſsaria: in quorũ explicatione ita uerſor: ut colloquentiũ natura, proprietatibusq; plerumq; ſingularibus totam diſputationis conflictusq; rationem abſolui expediriqúe permiſerim: nuſquam delecto admiſſoúe Iudice, qui partium diſsidijs ceu interpoſita ſententia adferret lucem: niſi quòd interdũ ipſe aliquo fortaſsis Epiphonemate, aut eam in rem comparato uerſu, quæ mihi ea quidẽ in diſceptatione mens iudiciumq; ſit, haud etiam obſcurè explicem & oſtendam. In omnibus autem id ago maximè: ut colloquutores uitia potius inſectentur, quàm uirtutes laudẽt: quod quidẽ hanc omninò rationem habet. Cum enim deforme quiddã, in natura uitium cenſeri debeat: grata autem ſit apud omnes uirtutis commendatio: equidem id plerumq; euenire uides: ut quod uirtutum eſſe dixeris, in eo partem ſibi nullum non depoſcere: adeò ut uel ignauiſsimi quique for

tes:

tes: ceu improbiſsimi, elegantes humaniq;: aut calum-
nijs ac crudelitate nobiliſsimi, ueraces & benigni: ut &
intemperãtes, ſtudioſi profectò frugalitatis haberi cen
ſeriq; omninò uelle uideantur. Quę uerò uitia ſunt, uel
ipſis planè uitijs deterrimis propinqua: qui iſtic partem
perſonamq; ita induat ſuſtineatq; ut confiteatur, repe-
ries mehercle neminem. adeò laruis delectati, eam ple-
rumq; quiſq; theatro intulerit, qua maximè placere ue-
lit. Hac occaſione, uitiorum turpitudinem monſtrari
pingiq; & reprendi etiam neceſſe eſt. Nec tamen Saty-
ricum hîc ego me conſtituam: ut qui uel ſugillem opti-
mos, uel peſsimis alludam: priuatorum'ue aut occulto-
rum notis uel neſcio quos in uulgus fumos uenditem:
uel Operis exilitatem augeam: quæ mihi (ceu fortaſſe
Sciolis quibuſdam rerumq; calumniatoribus uideri
poſſet) nec animum feritas occupat: nec Iudicij ac cogi
tationis modum obruit aut percellit. In eam rem ſua ſit
uoluptas alijs: qui mordacem nigrumq; ſalem chartis
inferant: & quos notare uelint, per me etiã & urant de-
niq;, & ſi ita libet, notent. Ego uerò Moralem doctrinã
communibus uitæ uſibus accõmodo: & quę laudanda,
uel culpanda ſint, tali equidẽ cõplector explicoq; argu
mentorum ſerie: ut cum reprehendam neminem: ca-
uere tamen nequeam, quo minus qui ſe reum ſentit, ta-
ctum ſe ac reprehenſum eſſe ducat. Ea enim eſt huius
doctrinæ uis & conſtans perpetuaq; ratio: ut tradi illa
proponiq; nequaquã poſsit, ni hoſce reos ſimul pera-
gat, quos ipſa pridem Conſcientiæ perſtrictæ uulnera,
iam læſos nocẽteſq; atq; inhumanos omninò declara-

 rint.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

rint. Id mihi iam cum omnibus huius generis ſcriptoribus cõmune eſt. Non igitur ſe notatum perſtrictumq́; quiſquam putet eſſe à me: qui non de ipſo ſeſe prius uoluerit confiteri.

Tibi uerò Illuſtriſsime Princeps hoc Opus dedico & conſecro. Cum enim de uirtute tua, liberali doctrina, & animi moderatione etiam cum nocendi ſæuiendiq́; poteſtas eſſe poſſet & occaſio, iam diu plurima mihi frequentiq́; relatione à multis explicatum ſit: equidem hoc Opus, cum moliri illud ceperam, iam ab ipſo ſtatim exordio tibi deſtinatum eſt: quod nunc demum præſens tibi offero: conceſſa interim uenia mihi à Clementiſsimo domino meo Friderico II, Daniæ Rege & Celſitudinis tuæ conſanguineo: ut has luſtrarem terras: quæ diuino Rheni flumine plerunq́; uel alluuntur, uel à ueteri illa Germania diſtinctæ ſunt & ſeparatæ. Iudicaui autem hoc decere ſcriptum Celſitudinem tuam: quòd uirtutum cuſtodes eſſe Principes oporteat: qui cum alia ſibi in Imperijs ſeruanda faciendaq́; eſſe ſentiant, etiam hãc ad ſe curã arbitrentur pertinere: ut quantum fieri poſsit, enormia uitia impediant, & uirtutũ pulcritudinem fauore præmijsq́; ac patrocinijs tuendam ſibi & propagandam eſſe putent.

Deinde cum originem à Vetuſtiſsimis, ſanctiſsimisq́; ac potentiſsimis Daniæ Regibus materna ſtirpe ducas: recẽsq́; adeò Maternus auus tuus (cui ego & bene habenti & mortuo, cum Maiorum ſuorũ monumento inferebatur, adfui:) è uiuis ſublatus ſit: equidem putaui & eo tibi nomine hanc ſcriptionem gratam futuram

eſſe:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

eſſe: quòd à ueteris proſapiæ ac generis materni ſubdi
to, tibi quidem & florẽtiſsimo & Doctiſsimo & planè
ſapientiſsimo principi, honoris certè cauſa exhibere-
tur. Scio uideri multis poſſe minus fortaſſe hoc Opus:
quàm ut tali Heroi, taliq; principi conueniat: nec ego,
quin maiore ornatioreq; digna ſit Celſitudo tua, per-
negauerim. ſed ſi materiem Operis, modumqúe tra-
ctandi & mediocrem hanc ſcribendi dicendiqúe fa-
cultatẽ ſpectes: bona ſpe ducor, alio te iudicio futurum
erga labores meos: quàm eſſe quoſdam dixerim: qui-
bus nec officij mei ratio, nec uoluntas ſatis comperta
aut explorata eſt. Interea fauore ac Clementia tua fre-
tus, cum lata ſit & elegans de uirtute tua apud omnes
bonos commemoratio: detuli Opus hoc ad te: quod ut
placeat, etiam atq; etiam oro. Non tantum delectabit te
legentem orationis filum: quod quidem ut non extol-
lo prædicoqúe, ita nec etiam magnopere à doctis repre
henſum iri pertimeſco: uerum etiam uarietas argumen
torum, & plurimarum rerum adiuncta inſertaq; men-
tio: quæ cum obiter tantum attingantur à me: occaſio-
nem ſanè dabunt ſæpius, ut à multis inueſtigentur, qua
damq; cum utilitate & iucunditate maxima omninò co
gnoſcantur. Ita enim & Naturæ rerũ, Hiſtoriarumq; &
Legũ multis in locis memini: uitæ aũt cũ priuatæ tum
publicę mores explico: ut ſine aliqua iucunditate cogi
tationeq; ac fructu liberali nec ab attentis legi nec ab
Eruditis conſiderari illa poſſe putẽ. Qualia aũt cumq;
de hoc Opere futura ſint multorum hominum iudicia:
quoq; genio deueniat in doctiſsimorum uirorum ma-

 nus:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

nus: in mea quidem poteſtate minimè ſitũ eſt. Nos eam tamen dedimus operam, illudq; ita ſcripſimus: ut placere bonis poſſe, mirificè profectò ac ſtudioſè expeteremus. Dominus & incolumitatem Celſitudini tuæ ſeruet, & Imperij dignitatem augeat. Vale. Baſileæ 23 Februarij, Anno
1573.

Celſit. Tuæ

Deditiſſ.

Cimb. Eraſmus Michaëlius Lætus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

ERRATA.

Verſum ſecundum, ſic lege.

Flamma calet. quis te placidum dolor aſperat? aut quis

Item 6. præfat. linea 19. lege Xenophontem.

Item folio 41, uerſ. 7. lege, Intulerint.

Cætera Lector ipſe corrigat, & ignoſcat feſtinationi, &c.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

C. Eraſmi Michae-
lii Læti

COLLOQVIORVM
MORALIVM
Liber I.

COLLOQVIVM I.

Patientia & Conſilio aduerſa quæ-
que uiceris.

RVTA. THYMVS.

R. *AVrea iam cœlo facies, & grata medullis*
Flamma calet. quis te dolor aſperat? aut quis
Quos fundis blandos minuit Thyme caſus odores?
T. *O' te fœlicem, noſtros ſi Ruta dolores*
Ignorare queas: neq; te uicinia lædit,
Quæ tamen eſſe ſolet teneris aſperrima plantis.
R. *Sanè equidem. noſtros etiam deſæuit in artus*
Vicino contracta lues ex æthere. nec iam
Priſca queror, ſancto fuerant quæ dura parenti
Funera: res aliȷs ea compenſata quieuit
Funeribus, meritosq; tulit uiolentia luctus.
Aſt quæ noſtra ſient nunc infortunia narro,
Scis quali heſternus ſurgebat Phœbus ab igne,
Et quo ſe nobis pandebant ſidera uultu:
Clara dies nullisq; adeò fuit aſpera nimbis,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Læta nec effreni ſternebat gramina uento:
Cum uitæ ſatagens numeroſq́; Apis aucta recentes
Intulit hos circum pleno ſe examine campos
Et noſtras tentare comas: ſubitoq́; pependit
Turba globo. Sed enim mixta eſt plerunq́; malignis
Vtilis herba rubis. acceſſerat hoſpes, at ille
Dum tenero fruitur, tanta eſt iniuria, ramo,
Hoc mihi confringit folium celeratq́; ruinas,
Et quo more ſolent ingrati præmia reddit.

T. *Deſine Ruta queri: folijs iactura caducis*
Magna nec eſſe poteſt, nec pernicioſa uideri.
Grata dijs apis eſt proleſq́; obnoxia cœlo,
Eximium naturæ opus & ſincera laborum
Merces, cui nihil eſt ſtudio quod demere poſſis,
Ni uel recta iuuet ſtupido mordere labello,
Vel uitæ ſacros odijs conuellere fructus.
Quis dulces superùm potus, quis nectara diuis
Conficit? an' ne apis eſt uni cui militat omne
Deſuper incumbens cœlum, tenueſq́; per herbas
Aethereum ſpargit flauenti ſemine rorem?

R. *At labor eſt ueteri maiorum laude relicta,*
Sic damno ceſſiſſe, ut non ulciſcier omni
Tute uelis ratione malos: qui iuſq́; fidemq́;
Cum uiolent, ſpecie pingunt tamen acta, nihilq́;
Conſilio geſtum, nil geſtum fraude loquuntur.

T. *Non labor eſt iutare bonos, fulcire ruentes*
Collapſis' ue pia ſolatia pandere dextra.
Officium eſt uirtuſq́; Deo quæ ſpemq́; animumq́;
Copulat ac ſupero commendat fata parenti.
Incerta eſt plerunq́; homini uia. multa per omnes

Eueniunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

„ Eueniunt agitata modos: non omnis in uno
„ Stat fortuna gradu. uertuntur maxima. celſas
„ Interdum nubes, interdum proxima ponto
„ Cygnus amat, uariantq́; leues uaga ſidera uentos.
„ Nunc tenebris phœbus languet: nunc luce tenebras
„ Caſſat & obſcuros in lumina uindicat ignes.
„ Da mihi Ruta aliquid quod uita uiuat, & una
„ Non dederis ſubitos in triſtia plurima caſus?
„ Sanè equidem quocunq; ferat mortalia cœlum,
„ Huc feret, ut duræ ſint cuncta obnoxia ſorti,
„ Et nihil è ſtabili ſpectandum lege relinquat.
R. At uerò folium confringier altaq́; tolli
Ornamenta, grauiq́; adeò ſubſidere damno,
Quis placido Thyme mœſte animo tolerarit? an iſtud
Obſequium laudes quo quis ſibi funera facto
Attrahat, aut proprijs excludat rebus honorem?
T. Non mihi iam ueteris primum argumenta querelæ
Ruta refers. Vtinam media tibi lance redirent
Quæ tu multa ſoles alijs dare commoda rebus.
At ſcis ipſa feris nunc omnia moribus eſſe
Perdita: nil penſi reliqui eſt, quo iure modô ue
Officijs potiare uolens animôue fruare.
Certe equidem miſeris decedere multa neceſſe eſt.
Quæ tamen eſſe bonis poterant optanda uideri.
„ Erratur paſſim, gratum eſt læſiſſe malignis:
„ Cum ſit honos uitijs, prima eſt nocuiſſe uoluptas.
Non tamen arbitrio folijs inſedit, & ultrò
Huc delata necat teneros Apis hoſpita ramos.
Turbinis impulſu raptata ſubibat in iſtud
Culmen, & à Ruta primam petere auſa quietem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Non ſemper quæ recta uelis, tibi carpere fas eſt.
Multa error, uis multa uetat, ſors omnia uerſat.
Tempeſtas ueluti rapidis cum ſæua procellis
Diſiecitúe uiros ſparſit'ue per æquora claſſem.
Tum quæ quiſq; poteſt dubio capere oſtia ponto
Prima tenet, feſſusq; etiam ſtatione quieſcit:
Sic nos abrepti fortunæ curſibus, iſtic
Hæremus pauidi, firmas ubi prendere ripas
Poſſumus, aut uitæ mediocrem inferre ſalutem.
Tum tibi tanta ſuis penſatum fructibus iri
Damna ſcias. apis iſta ſolet non inuida multos
Reddere pro meritis depenſi mellis honores.
R. *Mellea quid fractæ memoras mihi dona? moleſto*
Conficior luctu, ulnusq; in uiſcera mergo.
T. *Haud te Ruta uelim tanto tua ſemina queſtu*
Concutere, aut miſero tibi fatum accerſere planctu.
Res dolor eſt toti nimium contraria uitæ,
Quæ uel ſola quidem uiresq; & maxima tollit
Robora, & innatos graſſando oppreſſerit ignes.
Viuimus hoc, qui ſi ſemel alta cacumina linquit,
Iam ruere & gelida ſubuerti morte neceſſe eſt.
Da faciles animo motus, cape robora menti
Ingenuæ, & quantum fas ſit, meliora ſequare.
Nemo equidem in uita eſt & fata per omnia fœlix:
Sed ſua cuiq; dies aliquid, quod triſte uocarit,
Si non obiecit, ſaltem obiectura uideri
Poſſet, & aduerſos proferre in lumina uultus.
Integra ſint utinam tibi cætera corpora: certè
Ob folium ſileas, & ſpe tua damna leuabis.
Quos uerò fructus, quæ commoda rurſus ab iſta

Tu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Tu tibi pollicearis ape & quæ munera reddet,
Percipe. diuina quid ruta maius? an orbis
Hic noſter melius quicquam colit? aufer ab hortis
Iuniperos Laurumq́ ſacram, tu proxima ſtabis
Iuncta dijs magno tutela & cura Tonanti.
Te nemus omne colat, te longis porca tabellis
Incingat ſpacijs: te Virginis aurea caſtæ
Tempora ſucciduis geſtent ornanda corollis,
Frondeſcatq́ tuis medicina æquiſsima ramis.
Te ſine non dubiæ concedat Saluia morti
Buffonum ſarrata dolis & fracta ueneno.
Tum tibi quas uiridi phœbus ſub cortice uires
Inſpirans dederit, gratum eſt meminiſſe: propinquo
Cum ſis Ruta loco ſemper mihi iuncta colare.
Tu ueneris flammas, tu toxica dira retundis,
Peſtiferosq́ etiam propellis amarior ignes.
Auſtero ſed enim cum te natura ſapore
Intulit officijs, primosq́ ſtupeſcit ad uſus
Qui te dente premat, nocuamúe immittat in aluum:
Hîc apis æqua uices & dulcia mella uirenti
Reddiderint: acres tibi cum blandiſsima ſuccos
Temperat, ac primis ſubducit amara labellis.
Sic tua quò minimè tete natura tuliſſet,
Exigua raperis uolucri: tua munera cuius
Nunc ope collectam multis dant ferre ſalutem.
Haud paruas igitur propter contentio clades
Vlla mouenda fuit: ſubito delinquitur igni
Sæpius, & præter ſurgunt fera iurgia mentem.
Officijs etiam penſari hæc deniq́ poſſe
Damna putes. uili nihil eſt ita corpore, quin ſe

Aſſerat in lucrum, atq; aliquo tibi proſit ab uſu.
Quanto Apis illa magis? quæ ne qua clade perire
Poſsit, ab æterno uitam boue læſa reducit.
Quin conniuendum tibi multa ad damna putabis,
Si ſuperare uelis. qui ſeſe ulciſcier ardet,
Aut animo cladem non fert patienter, inani
Sæpè pericla manu tentarit pellere: nec rem
Perficiet, cuius ſi nomine mouerit omnes
Excitritq; Deos, acri tamen obrutus igne
Congeret haud dubios maiora in uulnera morſus.
Quid quòd & hic uitæ plerunq; ſit uſus, ut hunc nunc,
Nunc illum affligat rerum inconſtantia. Quare
Fortunam alterius ſic perferat alter, ut eius
Conſortem ſeſe eſſe putet. qua lege, quod iſtum
Nunc premit, accenſo pòſt te quoq; preſſerit igne.
Mutua ſit rectis igitur concordia, fatum
In melius flectas, ſi te patientia firmet.
Commoda longa breui ſunt anteferenda dolori.
R. Credo ego Apim ſuperis gratam immortalibus eſſe
Propitioq; frui manifeſta in munera cœlo.
Vtilis illa quidem eſt homini, medicasq; benignis
Auget opes ſtudijs & pharmaca dulcia reddit.
Tum uerò æthereis haud parua impendia Diuis
Præſtat, ubi æternos deducit lumen in uſus
Et nitidis ornat ſacrata altaria flammis.
Huic nihil indignor. uiolentia ſæpius undas
Commodet. inuitos ſubigit fortuna, uicesq;
Ex alijs alias dura in certamina gignit.
Quin folium ſi non præſens mihi forſitan annus
Reſtituet, ueniens equidem cum fœnore reddet
Multiplici.

Multiplici, & grato reparetur ſuccus honore.
Interea ſortem quæcunq; erit illa tuebor,
Iunctaq; conſilijs mihi ſit patientia noſtris.
T. Hæc alia properant tibi dicta expenſa bilance
Quàm pridem. tali uirtus ſermone ſub auras
Venerit ac ſeſe manifeſto è lumine prodet.
Quæ tu chara uides ſuperisq; ac gentibus eſſe
Aequa colas. non te tranſuerſum agat impetus, aut quæ
Sarciri iactura poteſt non maxima, uoluat.
Aſt mihi diuerſo properant mea fata iugali,
Omnibus aucta malis, toto quibus aſſe fatigant
Hoc caput & leuibus ſubtendunt funera membris.
R. Fare age, quo tandem macies tibi tanta labore
Surgit, & aduerſo quo demum ſidere langues?
Vt mihi tute prius ſolatia magna dolenti
Præſtabas, ſi quid pulſo ſim uiuida luctu,
Non ego te nulla recreatam parte relinquam.
Auditum nobis pridem fuit omnibus unum
Floribus enituiſſe Thymum: cum maximus eſſes
Prouentu, & diti cumulares ſemina regno.
At tibi penè decor ceſſit nunc omnis: & huc ni
Iam translata fores, mortem ſubitura uideri
Poſſes, & miſeros merſiſſe in funera uultus.
Has igitur clades iunctæ mihi promere Rutæ
Et proferre uelis. fuerint tibi cætera forſan
Triſtia, iam deinceps meliori ſorte fruare
Noſtraq; ſint mœſtæ ſolatia uiua ſorori.
Mutua naturæ ſunt uincula. ſerpit in omnes
Penè dolor communis & hoc eſt uiuere, ſi te
Alterius damno facilem patiare moueri.

T. Non mihi difficiles immittunt ſidera uentos,
Cœlica nec triſti me aſpectant lumina uultu.
Perfruimur ſuperis non aduerſantibus, altas
Dij tribuunt blando mihi labier æthere noctes.
Irrigat extantes mihi ros tener undiq; ramos,
Et ſeſe infundit radices humor in imas.
Tum uerò lucem phœbus gratumq; calorem,
Et mihi præterea quæ ſunt optanda ſecundat.
Vicino ſedenim quidam mihi proximus horto
Inſidiatur agens, herbas depaſcitur, omnem
Inuadens diro funeſtat dente laborem.
Indignatus enim caper hic mihi peſsimus atro
Demetit ore comam, cum ſe nec legibus ullis,
Nec putat humana ſe ſubdolus arte teneri.
R. Atqui ego iam pridem tactum ueteri' ue dolore
Præſenti' ue malo rediturum huc deniq; nunquàm
Amplius, aut hortis ſparſurum triſtia duxi.
T. Idem etiam reliquis nonnunquàm ſtirpibus error
Impoſuit. Soli fuit hæc ſuſpecta Meliſſæ,
Huic ſuſpecta fuit placidæ ſimulatio uitæ:
Quæ quoties noſtros ſpectantem uidit in hortos,
Admonet, hic niger eſt, hunc tu Thyme grate caueto.
Deſipui: nec enim cordi mihi uerba Meliſſæ
Iuſta monentis erant, & erat mihi plurima nullos
Mens timuiſſe dolos: quanquam non rara monebant
Signa etiam, noſtris aduertere pectora rebus,
Eſſe capro uafram ſtudia in contraria mentem,
Eſſe petulcum animum, qui quo ſibi grata palato
Sectatur toti iam nota eſt fabula mundo.
Quæ mihi uicino iunctiſsima ſtabat in horto

Caltha,

Caltha, uelut cœli cum tacta fatiſcit ab igne.
Aruit: at Corylus pendentes ſoluit iülos,
Iridis exceſſit decor, & quæ plurima flauos
Lilia candenti ſubigunt è corpore fœtus,
Ceu perfuſa graui traxerunt funera morbo,
Mirabar certè, & ſi mens non leua fuiſſet,
Has equidem clades, hæc infortunia multo
Antè quidem ſignis poteram aduertiſſe, mihiq;
Seu cauiſſe fuga, ſeu rem ratione tueri.
Sed clathri poſitæq; ſudes circumq; tabellæ
Acrius infixæ diductaq; uimina toto
Nos ſoluere metu ſpeq; hac lactabar inani.
Donec in hunc tenui patefacta deniq; rima
Irruit, ac ſæuis uaſtauit morſibus hortum.
Hîc igitur noſtros etiam penetrauit in artus
Subuertitq; comas demorſaq; uiſcera latè
Strauit, & in teneros properabat uulnera fœtus.
Sed tranſuecta manu ſeruor tantiſper, acerbo
Dum Caper iſte aliquo uel fortè dolore, uel acri
Conſilio ſapiat, uel firmo deniq; clauſus
Limite ſtringatur: tenues ne forſitan herbas
Amplius inuadat protritaq; ſemina uerſet.
R. *Quin mihi neſcio quo iam pridem fœdere tecum*
Conſpiraſſe Caprum fama prodente ferebant,
Et tibi iam placidos oſtendi in prædia uultus.
T. *Et fuerant etiam. ſed enim res iſta quietum*
Perdidit: & quo me niti fraus nulla iubebat,
Hoc perÿ, noſtris & erant fax fœdera rebus.
Quanquam uicino impulſum plerunq; putarim
Deſæuire, animo cum non malus ipſe putari

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Poſsit, & inuiſos in germina mittere dentes.

R. *Certè equidem tantæ miſeret me cladis. ut omni*
Preſſa coma langues? quorſum tibi purpura ceſsit?
Quò flores ceſſere quibus tu deniq; ſemper
Præcipuas inter ſolita es ſpectarier herbas?

T. *Diſperijt, tibi enim libeat quæ uera fateri.*
Heſterna ſummos cum phœbus luce iugales
Flecteret, ac calido rutularet apolline cœlum:
Improbus inuaſit noſtros caper iſte labores,
Dente legens morſuq; procaciter omnia uaſtans.
Vix hanc ſeruaui toto mihi corpore ſtirpem
Qua translata querar luctusq; in ſidera fundam.
Res ſuaſore malo nulla eſt ſceleratior, omnes
Vicerit is peſtes, & nigra aconita, cicutas,
Mandragoram, & ſi quid tibi dicere toxica poſsis.
Cum blandum ſimulat, ferus inſidiatur in omnes
Articulos: ſemperq; aliquid quod carpat inurget:
Semper & effreni ſpectat tua commoda uultu.
Heu ſibi quas uitæ clades, quæ triſtia fato
Intulit, infidæ quiſquis ſua credere menti
Suſtinet, ac prauis ſuaſores moribus audit.

R. *Abſtineas tandem miſeris Thyme mœſte querelis.*
Ploratu res facta nequit ſarcirier: alta
Eſt opus hîc uirtute, nihil quæ ceſſerit acri
Prauorum ſtudio: ſed ſe contraria totos
Exerat in neruos factoq; pericula uincat.
Depaſtas natura comas tibi reddet: amico
Durat adhuc infracta ſolo, nec perdita radix
Languet ab immani penitus uaſtata capello:
Conſilijs aduerte animum dictoq; quieris.

Vt te

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Vt te uipereo ſtrinxit caper improbus auſu:
Ardua ſic illum rurſus mala multa per omnes
Exagitant numeros labemq́ in nomina ſpargunt.
Hoc age, ſeu fortuna tuos, ſeu fortè reducat
Te quoq́, circuitu quantum tibi linea diſtat
In cunctas porrecta plagas, quo cardine mundus
Proſpicit: Auroræ ſeu limina prima tuetur,
Seu cadit in Zephiros, ſeu te Notus obijcit Auſtro,
Aut rapidas fluctu ſubigit Cynoſura procellas:
Quas tibi quas tacitis pando nunc artibus herbas
Inijcias ſcrobibus circumq́ palatia condas.
Angulus Eoo qui latior incubat igni,
Florentes hederas, uictricia ſemina primus
Inſerat, ac firmo prendat tibi robora uallo.
Aduerſus ſed enim ferales cardo Cupreſſos
Condat, & impacta multum radice ſequatur.
In Boream Scorodon ſubigas: Abſinthia uentos
Proſpiciant notios. Hic circulus omnia pellit
Toxica, nec diro quicquam ſinit ore moueri.
T. *Viribus herbarum num tete arcere putabis*
Poſſe malum, inſidijs quod iunctum eſt omnibus? aulam
Si noris, ſtygium non ignoraris auernum.
R. *Multos aula bonos habet. & res aula parente*
Nata Deo eſt, aulam ſi quis non improbus uſu
Norit, & accenſos oleo non pauerit ignes.
Non minor eſt aulis uirtus, quàm plurima templis
Relligio: uires ſi aſpirant aſtra, quibus tu
Aduerſere malis, rectumq́ in lumina pandas.
Deniq́ non herbæ id peragunt, bone. multa neceſſe eſt
Verba etiam nigro quæ ſunt obnoxia Diti

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Inſerere, & furuo ſubtendere carmina ritu.

T. Quæ mihi Ruta canis nigro ſacra carmina Diti?
Nunquid & optatum concepto è carmine robur
Venerit? an'ne etiam magni fortaſſe uetuſtas
Hæc meritò fecit primosq; iniunxit in uſus?

R. Haud ſecreta licet patulas Thyme ferre ſub auras:
Deſuper aſpiciens halantem phœbus auernum
Turbari prohibet manes'ue excire profundo.
Noctis opus, nigriq; ducis, Stygiæq; paludis
Carmen, & inuiſi cultiſſima gloria regni.
Aſt ubi Sol liquido ſeſe ſubduxerit orbi
Et mihi te ſolam nox intempeſta relinquat,
Quæ tibi profuerint non irrita uerba, docebo.

T. Sit ſatis: ach fido quantum eſt ô phœbe ſodali
Vtier, in cuius gremium tua triſtia poſſis
Fundere, & urgentes in pectora mittere luctus.
Omnis at è cœlo uirtus uenit: indue mentem
Quæ ſtygio nunquàm ſit conceſſura Tyranno.

COLLOQVIVM II.

Quid ſit Bonum, neſcire quem malum latet.

BELLIS. MENTHA.

B. IAm deſæuit hyems, iam triſti frigore tellus
Soluitur, ac Zephyris calidum ſpirantibus, orbem
Lux noua iam totum totasq; oppleuerit urbes.

M. Exceſſere niues; ſummisq; in montibus humor
Liquitur, ac curuo iam gleba fatiſcit aratro:
Vt quid longa tenet nos ceu tellure ſepultas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Iam mora? preſſantes aperit mihi terra latebras
Et ſubit arentem facilis mihi ſuccus in aluum.
Sat Boreæ gelidisq; datum eſt Aquilonibus, abſit
Frigus iners calidoq; fluant ſpiramine uenti.
Nunc iuuat indulgere comis, nunc ferre ſub auras
Inuida quos pridem mihi terra oppreſſit odores.
B. *Inuidia ſed enim terram ne Mentha notaris:*
Non Boreæ flatus, non tu accuſaueris undas.
Vtilis eſt mundo res frigus, & illa per omnes
Inſinuat ſeſe numeros, uiresq; ſecundas
Promouet ac grato diſpenſat multa calori.
M. *Aſt mihi Phœbeios complecti lumine currus*
Vt uolupe eſt, ita nil ego maius Sole, nec ipſo
Quicquam uſu melius clara inter ſidera ducam.
B. *Phœbus & ipſe meis gratum fert floribus ignem:*
Et recreat multo ſtupefactos frigore neruos.
Semina prolectat terris redeuntia. nunquid
Propterea nullo ſint cætera digna fauore?
Non ſint digna loco? facibus Sol uicerit. at ſint
Frigora Saturno, ſua ſint urentia Marti.
Sanè equidem ingenuo ſi quis quæ uera notarit,
Ore colit, rectumq; probat, ueraxq; uideri
Geſtit & hoc ipſum conſtanti mente tuetur:
Officijs animum duci is ſinit: unus honeſto
Qui generi famam meritumq; parentibus auget.
At uerò ſi quis mendaci falſa labello
Aſſerit, ac poſito conueſtit ficta pudore:
E radice quidem uitioſa prodit, & orco
Militat ac gratos inter ſtat uirus odores.
Frigoribus ſua commoditas, ſua plurima uirtus

Latè agit. inſano res eſt coniuncta ſtupori
Sic lucem celebrare, ut non quæ iuſta tenebris
Munera deferre & laudare ſilentia poſsis.
Eſt quoddam inciuile genus ſuperoq́ parenti
Inuiſum, quod non perſpecto totius uſu
Vel partem laudat, uel partem culpat: honeſti
Cum foret arbitrij ſic hoc extollere, ne quid
Iſtud uoce premas oppoſitáue commoda damnes.
Sæpè equidem res illa ſuos fert blandula fructus
Subſeruitq́ bonis quæ publica dixeris: acri
Quam malus inſcripſit uel cenſor arundine, prauis
Vel dictis agitat ſtolidi ſententia uulgi.
Vſq́ adeò tum iudicijs erramus, acerbè
Cum premimus quod nos aliqua læſiſſe uideri
Parte queat, uel quod ſtudijs obſiſtere noſtris
Quo minus ingenio licet indulgere, putamus.
Tu fortaſſe coma ſemperq́ uireſcere, ſemper
È folijs blandos aduoluere naribus ignes
Cum cuperes, inſtar comptæ meretricis amares
Perpetuum nullis inferre doloribus æuum,
Nulla aduerſa pati nulloq́ horreſcere luctu.
At rem ſi uera tu lance expendere poſſes,
Planè hæc alterno tibi frigora labier uſu
Preſſariq́ comas & aduri membra probares.
Quin quæ damna homini gignat calor, aſpice: ſi non
Temperiem à gelido ſibi ſpiritus induat? acres
Plerunq́ è calido morbi exoriuntur, & hæc cum
Altius inſedit ſoboles eſt obuia morti.
M. Tu tibi frigus habe: mihi mens eſt ferre calorem
Laudibus, & merito celebrare ea gaudia uerſu.

Et

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

B. Et celebrare decet. quid enim? res unica noſtræ
Plurima ducendæ confert hæc robora uitæ.
Sed tu tantopere hunc cur laudas Mentha calorem,
Quid'ue refert ſeu te ſæuis Aquilonibus æther
Obruat, ac duro ſtringat tua uiſcera morſu:
Seu Zephirus ſpiret molleſq; inducat agellis
Igniculos, flatuq; beet tibi prata ſecundo?
M. Ingratum planè eſt & adurens corpora frigus,
Compreſſans ſtringenſq; ſolum, radicibus imis
Aſperius: nihil eſt cui dicere blandula poſsis
Verba malo: ſæuit res mollibus iſta medullis.
Et ſtupidos artus & triſtia pectora reddit.
B. At ſi nulla quidem premerent te frigora: nunquid
Sydereum tanta ueheres tum laude calorem?
M. Sit frigus nullum, nunquàm laudaro calorem.
B. Ergo animis hæc prima ſalus, ſi fortè doloris
Haud expers uiuas, nec ſint tibi merſa ſecundis
Pectora delicijs, uoto nec ubiq; fruare.
Sanè equidem tibi uita malis cum plurima ſæpè
Quaſſa ſit, haud minimam propter tibi funera cladem
Induere ac animis ſubmittere triſtia certes.
Quin potius tecum decidi rectius iſta
Sorte putes, aliquo quòd te excruciarier igne
Eueniat: ne quid fortuna lætior, aut nos
Contemnas fœlix, aut non te ceperis ipſam
Perrumpaſq; gradus factoq; ſuperbior erres.
Ingratum eſt ſpectare diem, conſueſcere luci,
Nox quibus horrentes nunquàm dat opaca tenebras.
Deterius nihil eſt magno quàm ſemper honore
Diffluere, & triſtes nunquàm ſentiſcere fati

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Vrgentis morſus, nec adire per ardua laudes.
Quem mala nulla premunt neq; dura pericula uerſant:
Hunc etiam neſcire bonum fateare neceſſe eſt.
Vtq; ea conſtiterit ratio tibi: nónne putabis
In tota melius nil uita ducier, illo
Quo uariè afflictum ſolari munere quiſquam
Poſſit, & excuſſos reuocare in pectora ſenſus?
Cui tamen hæc adeò iam ſuppetat una facultas?
Quem ratio extulerit: niſi quem dolor antea ſummis
Afflixit preſſitq; malis? cui ſemper ouanti
Iuppiter optatum & gratos indulſit honores:
Is neſcit miſero circum præcordia quantæ
Verſantur curæ, preſſansq; moleſtia regnat.
Dura quidem res eſt afflictio: ſed tamen æuo
Lucra feret, caſto ſi ſit coniuncta pudori
Aſpiretq; bonis, animoq; pericula uincat.
M. *Ergo hyemem multis ornatam laudibus effers,*
Aduerſoq; probas nonnunquam ſidere uitam
Labier, & ſæuo conſpergi tempora luctu?
B. *Rectè equidem. quid me iucundius aura corollis*
Intulit, aut tali quæ mecum flore comaq;
Certarint nymphæ? tamen hoc decus ardua multum
Auget hyems, mihi cum natiuum dura calorem
Contrahit, ac uitam medios detrudit in artus.
Id ſaltem ſuperos & numina celſa rogemus,
Dent faciles ſæuæ curſusq; ac mollia ſorti
Tempora, dent gratos cumulari in uiſcera ſuccos,
Nec nos æqua ſinant triſti perflarier Euro.
Largior haud fortes ô Mentha uiderier herbas,
Poſſe nec aduerſum tam certa pericula niti.

Sed

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Sed fulcire deos ſic mundum noueris, omnes
Vt proferre gradus æquareq́; pondera noris.
E' proprijs nullus conſiſtit uiribus. unus
Iuppiter æthereos & cætera ſuſtinet orbes:
Qui quocunq; uelit uel labier alta, uel ima
Tollier euentu ſapiens moderatur, & omnes
Impellit numeros rerumq́; uolumina prendit.
Hoc ſurgas præbente manum, qua teq́; tuosq́;
Subleuet, ac molles inter det ſerpere uentos.
Si quæ magna prius blandita ſubibat in æuum
Sors tibi, ſi plena uiſa eſt dare proſpera lance,
Suſpectam certè & fragilem patiare uocari.
Triſtia ſed paſſo ſi quæ ſucceſſerit, iſtam
Stringere te manibus iubeo, uinclisq́; ſubactam
Complecti, & multum uigilanti prendere uultu.
Lubrica res magnæ eſt fortunæ acceßio. diuis
Si quid mente uales, ſi quid uirtute, litabis:
Vt quod ſorte datur, poßit uirtute teneri.
Non anguilla magis dubijs elabitur ulnis,
Nec mage ſe uarium Latois mutat in orbem:
Deniq; non citius delata per æquora claßis
Euolat, aut liquida ſub nube fatiſcit arundo,
Quàm fortuna fluit. mentem rege Mentha, deorum
Subde uoluntati quodcunque in pectore uerſas.
Fœlices ſpirant, quos proflant numina, uenti:
Cætera ſubijcias ſuperis, dictoq́; quieris.
M. Cedo equidem. minus eſt fului monumenta metalli
Vel dites loculos, uel opes reperire caducas:
Quàm monitorem æui fidumq́; in cuncta magiſtrum.
Is gemmas uincit, ſi ſe quoq; uicerit. aude

Et ſapere & ſi quæ tibi Dij dant magna, tueri.

COLLOQVIVM III.

Premi ſubinde magna, ſed non opprimi.

LILIA, SPINA.

S. *Lilia purpureo frondeſcunt grata colore*
Surgenteſq; comas & odora cacumina pandunt.
At mihi nec uigiles concedunt ocia curæ,
Nec labor aſsiduus conatum ita frangit inanem
Vt non obſiſtam latè properantibus, & quas
Vrgent læta uias intercludendo morabor.
Non tamen aut natura dolos, aut cura magiſtri
Promouet. obnitor quantumuis ſedula, flores
Extrudunt medios inter gratiſsima ſentes
Euentuq; uigent conaminaq; effera ludunt.
L. *Haud tibi Spina uelis tantum indulgere: labaſcit*
Planè equidem labor, æthereo qui uincla Tonanti
Condat, & in duros ſtudeat dare ſidera nexus.
Inſanæ tantum mentis factiq; ſiniſtri
Id fuerit. latos ceu ſi quis forſan aquai
Det cumulos operam tenui comprendere limbo,
Aut uelit anguſtis includere finibus orbem:
Haud aliter uana tantum ratione fatigat
Ingenium: ſi quis cœloq; dijſq; repugnans
Occulto ſatagat uirtutem exſcindere fuco.
Vt ſolem prohibere nequis quin curſibus inſtet
Et ſua flagranti tranſmittat lumina motu:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Sic labor & uana eſt animi contentio, uelle
Quæ ſunt iuncta Deo penitus ſubuertere. forſan
Interdum liceat folijs illudere: ſacram
At fas eſſe negat radicem exſcindier is qui
Tete, Spina, manu ne ſternas omnia prendit.
S. At gratum eſt, quanquam pretij nil fortè ſequatur,
Aut odiſſe bonos aut non concedere rectis.
Iuppiter hoc Spinas equidem nos fine creauit,
Semper ut anguſto frondeſcant lilia curſu.
L. Si Iouis imperio tantam petis improba laudem,
Cur prohibere nequis quæ celſa cacumina cœlo
Pandimus, & liquidos inter damus aurea uentos?
S. Sedula connitor: nec me labor iſte grauarit:
Nec mihi defuerit tam magna in facta, uoluntas.
Vincit opes parere Deo. nil maius Olympo
Ducitur, hortanti quàm ſubdere pectora cœlo,
Et quæ iuſta ſient conſtanter uelle tueri.
L. Ne mihi ne cœlos odijs obieceris: iſta
Felle domus uitijsq; caret: ſanctiſſima diuûm
Turba colit, cui nil ſcelerum, nil deniq; tetræ
Labis ineſt: equidem ſuperas, ne forſitan erres,
Natura monſtrante uiam ſectamur in auras,
Diuidimusq; rubos ſpacijs, perq; aſpera magno
Tendimus afflatu ſuperûm, faciliq; meatu
Fundimus in tenues gratiſſima lumina uentos.
Inuia uirtuti nulla eſt uia. deme labores,
Deme animos, quid habent mortalia facta uenuſti
Quidúe decoris habent? labor eſt atq; ardua uirtus
Quæ pergrata dijs faciant nos lilia dici.
Deniq; non noſtris circumdata ſpina medullis

Luxuriat (credi quod tu fortaſſe uolebas)
Vt nos immani ſub acumine perdita ſternat
Exſcindatq́ ſolo penitus damnetq́ ſub umbris.
Non ea, non triſti conceſſa eſt gloria Rhamno,
Nec rata ſunt grauibus tanta infortunia ſpinis.
Quæ tu perniciem, quæ tu mihi funera credis,
Hæc uitam præſtant, hæc uitæ gaudia reddunt.
Tu premis, at meme fortuna educit, & alta
Libertate iubet cœlo curante potiri.
Deniq; cum uerè intueor quæ iura modusq́
Nos iunxere, equidem rerum ſic maxima ſpecto
Pondera: ut inueniam ſine te mihi nulla uideri
Dulcia poſſe. tuo mea præſidioq́ bonoq́
Creſcere lucra: nec urgentes me lædere ſpinas,
Sed potius prodeſſe, meisq́ ita rebus & æuo
Conſulere, ut tibi, quòd perdurem floribus uni
Debeam, & æternos referam in tua munera cultus.

S. *Præſidióne etiam frondeſcere Lilia noſtro*
Et medios inter non uicta uireſcere ſentes?
Ergóne conatu ſtudijsq́ ac deniq; uotis
Omnibus excidimus? nullæ ne in funera uires
Amplius? an fracti ludunt mihi pectora motus,
Et quæ magna ſequor, uanis tantum inſequor auſis?
Haud ita blandiri libeat tibi. proſpera noſtro
Munere nulla feras. ego meme ita comparo, ne qua
Non tete affectam, non preſſam clade querare.

L. *Ne ſtomachere leui tantum perſtricta labello,*
Nec tibi propterea circum præcordia bilis
Aeſtuet ac tantos fruſtra conſciuerit ignes.
Tu maiora etiam, ſi quid me uera neceſſe eſt

Dicere,

Dicere, percipies. uana eſt ſine uiribus ira
Dementatq; animos & ſpe ſe tollit inani.
Vtq; minus dubites, naturam utrinq; tuamq;
Et noſtram pariter tranquilla age diſpice. nónne
Turba ſumus multis obnoxia turba ruinis,
Et patimur quodcunq; libet mortalibus? aſt hæc
Cum iuſtè fiant, mihi ſunt toleranda. ſed iſtos
Interea durosq; boues hirtasq; capellas
Immundosq; ſues, & ſi qua beſtia dulci
Præterea graſſatur agro uictumq; per herbas
Quærit, & ingrato conuaſat pabula uentri,
Quid memorem? ſanè his ſtudium eſt & prima uoluptas
Lilia funeſto ſubuertere dente, comasq;
Radicesq; adeò totas ita uellere, ne quid
Amplius aut hortis colar, aut conuallibus altos
Expediam flores, uentisq; cacumina pandam.
Has igitur peſtes contra rictusq; procaces
Quid facerem, ſi te non defenſante tuerer
Relliquias generis, peteremq; à ſentibus hoc quo
Nunc ego præſidio ſupera in faſtigia nitor?
Tu mihi quodcunq; eſt decoris, tu regna uirosq;
Concilias, murum præſtas mihi ſpina uirenti
Noſtraq; das læto ſpectari hæc uiſcera plauſu.
Vt ſtolidos memorant cœlum affectaſſe Gigantes,
Conatosq; Ioui rigidas aliquando cathenas
Inijcere & patrio ſpoliatum euertere regno:
Quos tamen is celeri deiectos fulmine latè
Strauit, & in ſtultos æquata eſt pœna furores.
Floribus haud aliter noſtris turba improba, capræ
Ruricolæq; boues porciq; aſiniq; ruentes

Inſidiantur, & atroci dant uulnera morſu,
Tu niſi uallares circumdata corpora muro,
Incinctasq; comas prohiberes dente reuelli.
Tu mihi fulmen eris, tu magni dextra Tonantis:
Tu mihi præſidium, tu das mihi Spina quietem.
Te ſine non aliquo redolerent Lilia fructu,
Nec proferre comas, neq; flores ſpargere poſſent.
Non roſa, non uiolæ, non ſit mihi charior uua,
Pulcra nec æthereos quæ ſuſtinet Iris honores.
Te nemus, & ſi quæ nemori ſunt regna, celebrant.
Creſce Deo nobisq; uia conceſſeris: unam
Te Lyra, te Phœbus, te mens non uicta ſequetur.
S. *Proh ſuperasq; herebiq; domos & quicquid ubiq;*
Noxæ & labis erit: me, cui nocuiſſe uoluptas,
Cui ſtudium nocuiſſe fuit ſemperq; futurum eſt,
Præſidióne bonis ſubacutos pandere ſentes
Ignaramq; meo quos perdam iure tueri?
An'ne inter ſpinas frondeſcant Lilia, ceu quæ
Spinis tuta ſient & noſtris inclyta regnis?
Vulnera moliri, ſegetem ſubſtringere, frondes
Obruere, & uariæ cumulare pericula cladi,
Id ſtudio Spinis ſemper fuit. Exue mentem
Qua tete ſaluam noſtra uirtute putabis.
L. *At miſerum eſt, animo tantum malè uelle, quid, iſtos*
Deſipias ſemper nec te patiare moueri?
Non Rhamnus, non Spina procax, non Lilia ſentes
Obruerint. maius teneros mihi robur in artus
Sic ſubit, euerti ſtygio quàm principe poſſim
Qui ſpinas rhamno, qui rhamnum ſentibus auget.
Sanè equidem poſſes meliori nomen ab uſu

Sic

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Sic capere: ut noſtri generis tutela piusq́;
Surgenti cuſtos & magni prima Tonantis
Dextera dicaris: qua nos pater ille, deorum
Maximus inuiſos contra defendere rictus
Pergit & obducto firmat ſacra Lilia muro.
Nunc generi magis arridet cunctisq́; propinquis
Velle nocere: cui ſtudio quod pectora laxes,
Inuidiaq́; tumes fœdaq́; tyrannide regnas.
An neſcis quàm dira lupis natura, uoraxq́;
Immanisq́; ſiet? ſternunt armenta gregesq́;
Euertunt totos, nec quod ſatis eſſet, acerbis
Id ſatis eſſe ſinunt. graſſantur in omnia, ut uno
Se ſatient. tanta eſt animis petulantia, tantum
Ingenijs ſcelus & uiolenti in funera dentes.
Non ſecus inuidia tete exſtimulante uideris
Præcipuo duci ſtudio fatisq́; moueri,
Vt nocuiſſe uelis, clademq́; affundere certes.
S. *Collibet. huc etenim quò fert natura, ſequamur.*
L. *Iampridem contrà aſſertum eſt. natura repugnat*
Nequitijs: nihil eſt cœlum prætexere fuco,
Aut odijs turpem ſacro à Ioue ducere cauſam.
Tum ſi nulla potes monitisq́; ac uoce moueri,
Quo minus incepto properes, ſtudioq́; maligno
Et læſiſſe uelis, & non tibi parcere uictæ:
Accipe ſupremo quæ tradam, Spina, furori
Dicta tuo, ſubtusq́; tibi præcordia conde.
Aurea cœlicolæ ſtatuerunt Lilia diui,
Immortale decus ſuperis: pulcherrima terræ
Pignora, cui primos decernit campus honores,
Detuleritq́; pios diuerſa in munera flores.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Hæc preſſiſſe quidem uario potes improba morſu,
Oppreſſiſſe tamen nunquàm potes. ima medullis
Suggerit æternos, cœleſtia munera, ſuccos:
Quos lympha reficit nunquam ceſſante, deoq́;
Increſcit radix ſobolemq́; ſub æthera ſpargit.
An' ne uides quanto cedis mihi tramite? ſed quid
Hæc ego? nil Spina eſt cum ducunt numina uelle
Decretos prohibere gradus. concede Tonanti
Et concede Deo. Stulta eſt ſapientia quæ nil
Cum ſapiat, ſuperos contra ſe armauerit orbes.
In te ſubſidas quantum libet. inſere nodos
Clauiculis, quantumq́; potes tibi contrahe quicquid
Viribus aut uirtute uales, da ſtringere denſos
Robora complexus hamisq́; innectere frondes:
Haud minus in patulos euado cacumine uentos
Diuerſas ſcrutata uias, ubi ſcilicet altæ
Virtuti fortuna dedit mihi figere greſſus,
Et procul extantes in ſidera fundere uultus.
Cum uelut accenſos includere montibus ignes
Quis uelit, ac tumidos conſtringere uecte calores:
Molibus aucta furit ſonituq́; inquirit in omnes
Flamma uias: quo non tentatur acumine uelox
Exitus? amoto donec uaga cardine lapſu
Præcipiti erumpit patulasq́; exſpirat in auras.
Sic mea turbato quanquàm ueſtigia curſu
Auertiſſe uelis greſſusq́; inhibere ſecundos:
Per tamen egregios extrudo cacumina flexus
Veſtigioq́; uias oculis adituq́; latenti
Hinc atq́; hinc ſuperos ſtudijs infundor in orbes.
Si cœlo placeas, contemnere Tartara poſſis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Vt ſua ponderibus luctantia robora duris
Obuia palma refert, contraq́; inſurgit & omni
Non cedit depreſſa loco: ſic uiuida uirtus
Pugnat, & æterno fert florea ſerta triumpho.
Interea creſcam cœlo mihi uindice. multa
Diſſimularo etiam quæ tute aſperrima noſtris
Obijcis atra uijs certasq́; opponere. laus eſt
Cum libeat nihil eſſe malos. Deus aſſerit: ut quid
Tu premis & ſtudio tete afflictaris inani?
Deſine uelle Deos ſtulta oppugnare. labaſcit
Humano tantum quæ pugnat acumine uirtus.
Aerumnas uitæ prudens patientia uincit.
Quin tempus ſortem mutauerit. ipſa peribis
Siue exciſa manu, ſeu flammis obruta. uerum
Nos hinc tranſtulerit fatúmue aut cura Tonantis,
Aut cuſtode alio defendi iuſſerit. inde
Sic erimus nos ſalua, Ioui ut ſeruata feramur
Liliaq́; æternos frondeſcent inter honores.
S. *Ergo ego iam toties fruſtra oppugnaſſe Tonantem*
Virtutisq́; uias potero impedijſſe uideri?
Si nihil eſt nocuiſſe malos, ſi perditur omnis
Inuidiæ labor & proprios furit ignis in artus:
Immutare quidem mihi fas ſit, & addere mentem
Obſequijs. fortaſſe etiam mihi littus aratur,
Si contrà pugnem ſtudijsq́; laceſſere pergam.
Officijs igitur cœlumq́; hominesq́; merebor
Et mutando animum ſimulauero recta. faceſſat
Qui cœlo terram, qui terræ iungat Olympum.
L. *Militat excelſo uirtusq́; modusq́; Tonanti:*
Hunc non tartareo circumlita guttura fuco

Fruſtrantur. Si recta colis, tibi Iuppiter æquus
Præmia decernit. Si fallis, & æquior idem
Præmia decernit. nihil eſt contraria cœlo
Moliri, & fictas in crimina uertere cauſas.

COLLOQVIVM IIII.

Bona eſſe plura, quàm mala.

NVX. QVERCVS.

N. NVnc demum, ueteres olim quæ uera locuti,
Experior, numero quæ ſunt mala uincere. uel quis
Omnia comprendet quæ ſunt aduerſa? faceſſat
Qui preſſum duris animum ſpe lactet inani,
Et ſe fœlicem media inter uulnera fingit.
Quo tua cunq; modo contendas robora Quercus,
Nil niſi quod miſerum eſt toto patieris in orbe.
Aut hæc quæ tandem fuerit petulantia? nónne
Fuſtibus hunc etiam dulces petijſſe ioglandes
Vidiſti puerum: qui quanquàm aſcendere ramos
Poſſet & excuſſa tantum nuce parcere lætis
Frondibus, ac molli uirtute potirier auſo,
Sintq; etiam toto circùm mihi uentre ſtolones:
Haud tamen abſtinuit nodoſis fuſtibus omnem
Præcipitare comam folijsq; impellere lapſus,
Et nimium certis impingere uulnera dextris.
Et puero certè tanta eſt audacia: quid ſi
In nos tela ferat totis quæ uiribus ætas.

Præſtat,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Præſtat, & haud fragili diſtringit ſaxa rotatu?
Planè equidem iuraſſe reor mihi funera quicquid
Aut animo furit, aut iter hac dum carpit acerbè
Fert etiam fructu meme non prorſus inani
Stare, nec in nullas mihi ſurgere culmina laudes.
Non mihi non pueri iuuenesúe uiriúe ſenesúe
Non matrona pedes grauis innuptæúe puellæ
Ocia concedunt. ut quiſq; eſt primus, ita omni
Conatur ſtudio latus hoc pertundere, ſaxo
Fructibus inſultare meoq; illudere regno.
Vix mihi primæuo ſurgenti è ſtipite radix
Altius abſtruſos terrarum ingreſſa receſſus,
Hærentes uiſa eſt ſolidis dare nexibus armos,
Cum ſubitò multi exiſtunt uarijq; labores
Inuiſæq; manus odijsq; accenſa uoluntas,
Quæ ſimul in noſtras minitantur uulnera mortes.
At uerò, quo me tuear? natura malignas
Ipſa dedit leges: ut quæ molita ſub auras
Extulit, haud etiam defendere munera poſſit.
Protinus in foribus ſtabulant, quæ prima tenellos
Excipiant fœtus gelidiſſima frigora, duræ
Progenies hyemis, macie cui tota ſenili
Tanquam exhauſta cutis tenuatos explicat artus
Et planè informes pandit ſub ſidera uultus.
Mox uarijs inflexa modis glaciesq; niuesq;
Et duræ noctes, cœli inclementia pugnat.
Quis memoret quantos ſecum metuenda rigores
Bruma trahit? nihil eſt quod huc non defluat. imo
Cum ueluti ratibus uideas ſubſidere fundo
Sordibus obſeſſos latices multaq; per omnes

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Sentina regnare uias, & odore moleſto
Infectam humanis aduoluere naribus auram.
Non aliter rerum facies duriſsima brumam
Occupat. hîc cumulis pugnant mala. quanta per omnes
Graſſantur campos longum eſt meminiſſe: quid undas
Quidúe pati uentos, quid humum tolerare neceſſe est?
Non mihi ſi folijs ſuccedant omnibus ora,
Multiplicis´ue darent uſus mihi numina linguæ,
Difficilem brumæ formam uarioſq́ labores,
Et perplexa uijs comprendere frigora poſſum.
Blandius hanc paulò ſequitur uer: cuius ad ignes
Protinus è tectis ſuperato frigore ſeſe
Eijciunt pueri, propterq́ aſsistere Soles,
Gestit & in uarios turba hæc dat brachia luſus.
Et tamen hac etiam cumprimis parte moleſtum est,
Quòd neq; blandidulo prorſus ſit mite calore,
Nec uero pauidas conſtringat frigore gentes.
Planè autem uarium eſt, tepidiſq́ ſub ignibus errans
Alterat incertos ſua per ueſtigia motus,
Suſpectoſq́ dies atq; aſpera tempora reddit.
Et tamen hîc aliqua mundus ceu luce foueri
Incipit, ac rurſus ueteri iuueneſcere forma.
Seminibus iactis iterum noua pullulat arbos,
Et tenero concedit humus latiſsima flori.
Tum Venus incenſis ſtimulata caloribus ardet
Prolificaſq́ iacit furibunda in corpora flammas.
Gramine ueſtitur campus, uirgulta reſurgunt,
Herbarumq́ comæ faciles reuocantur in auras.
Sed quid? nónne etiam Cymices Muſcaſq́ uolantes,
Et lætas uolucres, & nigri multa chelydri

Corpora

Corpora in hunc noſtrum peregrino ex orbe reuerti
Aſpicis & totas circum diffundier urbes?
Quin ſeſe morbos uideas & tecta mouere
Vlcera: iam tacitos tranſplantat ſpiritus ignes
Multiplicatq; luem, cum morbida ſemina latè
Spargat & in ſanos noxam leuis ingerat artus.
Sic aliјs lucrum, aſt aliјs uer damna reducit.
Succedit ueri tum neſcia frigoris æſtas
Torrida. Dij quantum, uel ſola uoce, malorum
Ingrati quantum poteris retuliſſe uideri.
Iam labor & rapidi ſubit inclementia Solis.
Omnia qui telis radijsq; uomentibus ignes
Obruit, ac ſæuo peruaſtat rura calore.
Flaccida redduntur reſolutaq; corpora: uires
Lambendo minuit facibus dum Phœbus apertis
Regnat & externis ſubmittit uiſcera flammis.
Quis mala, quis tenui memorauerit omnia dicto,
Quæ calor iſte quidem miſeris mortalibus, unus
Auget, & immani circum dat ferrier igne?
Baccho equidem gratus plerumq; is conſtat. at æquæ
Non itidem Cereri ſemper placet, optima ſoli
Cui ſua temperies meditatos reddit honores.
Interea inſidijs petimur: uirgulta capellæ
Prima legunt: ſi qua eſt fœdis occaſio porcis,
Et terram uellunt & roſtro uiſcera nudant.
Quin hæc ſi uitem, iam celſi fulgura cœli
Præcipitant ſubiguntq; comas: uel dira ſecuris
Sternit, & in fragiles graſſatur acumine ramos.
Aeſtatem ſed enim plenis petulantior auſis
Autumnus ſequitur, qui quantum æſtate recedit

Tantum hyemi propior naturæ iura uiceſq;
Alterius pandit calathiſq; undantibus urget.
Deterius primùm morbiſq; maliſq; fatiſcit
Tempus & ingenti cumulatum clade laborat.
Mox agitur totis uindemia curſibus. aſt hanc
Quo multi ſtudio, qua ui, quo deniq; facto
Expediunt, noſtræ iam res eſt cognita frondi.
Non tantum excerpunt quæ ſunt matura, foriſq;
Iam trudunt toto percoctas ubere glandes:
Verum etiam nullis quæ proſunt uſibus, aut quæ
Ornatu tantum iam ſtare ſuperflua poſſent
Fuſtibus impellunt concuſſaq; germina iactant.
Id uerò tantis animi feruoribus, ut non
Colligere: at rabidi ceu cum ſe dente moloſſi
Exagitant ſæuiſq; in uulnera morſibus ardent:
Sic pulſare comas pueros, ſic lædere fructus
Arboreos, ſic tu matres iugulare uideres:
Perfringi ramos, liueſcere corpora ſaxo,
Et pedibus depreſſa teri: ſubmittere frondes
Lapſibus ac multa uiduatas cæde piari.
Denſior haud equidem quaſſa pluit ilice grando,
Nec ueniunt plures templorum ad tecta columbæ:
Quàm mala ſunt quæ ferre quidem nos æmula cogit
Turba hominum, cum uel fructus uel ligna reuellunt
Vel quatit extantes petulantia publica ramos.
Hæc miſera eſt nucibus ratio: cum damna receptant
Pro officijs, toti proſunt quibus undiq; mundo
Atq; inter menſas ſtant munera prima ſecundas.
Q. *Multa ſuper damno quereris, ſuper æthere multa,*
Et ſuper arboribus, tum quæ tu aduerſa putabas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Omnia non uano complecti iure uideris,
Nec penitus ueris oratio mœſta repugnat.
Cæterum an hoc tali quæ ſunt ſanctiſſima dicto
Propterea comprendi,& opus damnarier hoc quod
Et pietas commendat,& uſus ad optima uertit,
Fas ſiet exquiras animum tranquilla.ſiniſtris
Dextera miſcere,aut falſis quæ uera,prophanum
Eſt habitum ſemper,ſemper crudele putatum eſt.
Non ego te uaria ſuſpenſam ambage morabor.
Multa quidem inuito contingunt triſtia cœlo,
Multa dijs.Nec enim ſupero inſcripſiſſe parenti
Hæc aduerſa uelis,duro quæ noxia mundo
Altius incumbunt certiſúe doloribus inſtant.
Si quid fata boni noſtris aſpergere uitis,
Si fœlix aliquid poterint tribuiſſe uideri:
Id cœlo munus referas.Ioue læta ſecundo
Accipimus:dextra cuius mihi robora primum
Vt data ſunt,aliquos ita nunc ſeruantur in uſus
Atq; habet excelſas ſors non uaniſſima Quercus.
Aſt alios alia acta mouent:nec prorſus ineptè
Sunt tibi dicta,graui quæ nunc ſermone per omnes
Exagitas numeros rerumq; in tempora ſpargis.
Sed tamen hæc uera tibi ſunt ratione ſuoq;
Diſcernenda modo:ne quos fortaſſe dolores
Stulticia,aut fallax hominum contentio gignit,
Aſcribas cœlo fatiſúe impulſa querare.
Non ſuperis aliqua eſt diuis petulantia.quod te
Agniculus capreæq; leues hœdiq; petulci
Infeſtent:quòd te puerorum turba laceſſet
Decutiatúe comas:quòd celſa cacumina multi

Exſcindant, frondeſ'ue leues de corpore uellant:
Quis cœlo labor, aut quæ deniq; culpa Tonantis
Aetherei? rerum fœda eſt iniuria, cum ſe
Aduerſus ſuperos uiolento gutture tollit.
Magna equidem diuûm benedictio frigus & aura eſt.
Nec mala ſunt, quæ tu tanto mala fulmine damnas.
Quis neget, urgenti quin ſit ſua gloria Brumæ,
Quin ſua commoditas Brumæ ſit plurima? nónne
Natiuum denſis ea uiribus aucta calorem
Firmat, & æſtatis gratiſsima munera lætis
Vſibus immittit flammaſq; rigoribus auget?
Hæc muſcas culiceſq; necat cymiceſq; uolantes,
Hæc bruchos ſternit, pueroſq; ſub atria cogit
Durior, ac teneras preſſat magis horrida palmas.
Ver terras aperit zephiris glebaſq; reſoluit:
Liquitur & canis è montibus humor, aquiſq;
Diſcedit glacies: ſplendeſcere uomer aratro
Incipit, ac uitreo referunt ſe carbaſa ponto.
Gramine nunc ueſtitur humus folijſq; tumeſcunt
Ardua ſyluarum: flores erumpere, ſucco
Turgeſcunt gemmæ, radix patefacta liquores
Attrahit, ac dulces uacuo rapit ubere lymphas.
Inde ſuus uentri cibus eſt & pabula totis
Stirpibus, æquato quæ alimenta ſacomate uirtus
Spirituum medijs partitur clauſa medullis.
Protinus æſtiui ſuccedit temporis aura,
Blandula, grata, recens: pòſt cum ſe exuſcitat igne
Sydereo rapiduſq; infert ſe Syrius orbi:
Tum grauis incumbit populis, tum ſæuus adurit
Corpora, tum uires populatus membra reſoluit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Ignibus, atq; graues inter ſerit ocia curas.
At uerò optatos matura in ſemina fructus
Digerit, humorum latices coquit, una corymbos
Molibus extendit farcitq; caloribus uuas.
Spiritus in ſegetes tacitus uenit: æthere magnus
Iuppiter interdum pluuias in ſemina ſpargit
Multiplicatq; ſolo rorem, quo deniq; tellus
Pignore molleſcit ſterilesq; extrudit auenas.
Iam uerò excelſis ludunt in montibus agni
Caprigenumq; genus: iam pleno cymbia lacte
Vbera deſiccant, fluuijs iam uellera mergunt:
Iam uolucres læto ſua fundere pectora cantu,
Et corylos inter uirides reſonare cicadas.
Quid Philomela tuos memorem tibi blandula cantus?
Quæ quanquam exiguo ſuccreſcas corpore: miris
Tu tamen has etiam recrearis uocibus auras
Auditumq; feris uarijsq; accentibus imples.
Percoctas Autumnus opes iam colligit, uuis
Sordidus, & uario permiſcens plurima uento.
Sed quid ego hæc tandem? uicibus ſacra tempora certis
Humanas inter diſpenſant maxima gentes
Munera. temporibus cedas, ſi uiuere certes.
Tu uerò nimis ingrato baccharis ab ore
Et recti metas cum ſis tranſgreſſa Tonanti
Illudis ſupero: neq; te capit ulla pudoris
Relligio, ut cœli concedas legibus: & quod
Aut natura tuis congeſſerit uſibus: aut res
Exigat ipſa, uelis iuſtum tibi dicier: ut quò
Te uitæ ratio tulit haud moroſa ſequare.
Cum ueluti ſubito confundunt impete uani

Iura coci nihil integrum, nil dulce relinquunt.
Sic quòd parua tibi noceat ſcintilla repugnas
Iudicio, damnasq́; ignes & quicquid ubiq; eſt
Exagitas, poterit quia non placuiſſe uideri.
Deniq; ſi tibi ſunt iam multa aduerſa, proinde
Et nobis aduerſa putes? nos omnia lance
Longè alia quàm tu rerum momenta ſecuti,
Adſtipulari equidem tibi nos non poſſe fatemur.
Tum fas eſſe ſinas uero me cedere: uel quòd
Id pietas iubeat, uel quòd Natura requirat,
Fallere mendaci uel quòd ſit turpe labello.
Atqui ego diuerſas cœlo iam iudice ſector
Complectorq́; uias, Numero bona uincere: ſi quis
Quæ bona ſunt, uero diſcernere lumine poſsit.
Id ſi non eſſet, iam nil foret omnis, & omnis
Nil tibi uita foret, neq; quiſquam uiuere poſſet.
Vtq́; etiam exemplo ne non ſis doctior, inſtem:
Aſpice quantum homini dederit natura. ſed ipſum
Hoc genus aſsiduos etiam tolerare labores
Cogitur ac uarijs ſubmittere caſibus æuum.
At cum ritè Deum norit, cum numina uero
Iuncta bono ſciat, ac toto ſpe regnet olympo:
Lauticiasq́; probet gratæq́; pericula uitæ
Seu caueat, ſeu propulſet: ſeu legibus armet
Seſe etiam, ac flammas intelligat ætheris, & res
Iudicioq́; animoq́; gerat, ſtudijsq́; fruatur
Ingenuis, linguæq́; uſum ſic dirigat, ut cum
Vox huic certa ſonet, tum nuncia pectoris omnes
Explicet articulos precibusq́; adducat Olympum.
Deniq; cum celeres ponto dedit ire carinas,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Cum ſegetes legat ac denſas in frigora ueſtes
Aptet, & ignotis ſatagat dare lumina rebus:
Cumq́; urbes cœtusq́; colat, cum iura frequentet
Et ferat humanos in egentia uiſcera ſenſus:
Quis dubitet magnis cumulatum laudibus eſſe
Ornatumq́; bonis: etiamſi plurima ſæpè
Excrucient animos & ludant triſtia regnis?
Non igitur ſuperant ſemper mala. Cede monenti,
Cede Deo, quantumq́; potes tibi deme querelas,
Et nihil è fuco, nihil ira aut fraude loquaris.

N. *Id tamen ingratum eſt uel ſterni corpora, uel ſic*
Deniq́; laſſari, toto ut tibi uertice lætas
Excutier patiare comas, ubi uicta ſalaci
Afficiare malo fructusq́; è uerbere linquas.

Q. *Haud equidem ingratum eſt. hoc condita fine uiremus,*
Simus ut humanæ gratiſſima munera genti.
Seu nos ſtare locis igitur fructuq́; beato
Seruire, & tumido libeat ſubmittere uentri
Pabula: ſeu libro rigidas inferre ſecures
Et reſecare comas ramosq́; reuellere mens ſit:
Nil nos hercle mali patimur: pars una uorantes
Pauerit igniculos flammasq́; accendat edaces.
Pars in tecta ſubit, fulcrisq́; impacta ſuperbis
Auguſtos uaria ſuſtentat mole penates
Compingitq́; domum & laquearia celſa moratur.
Vt nihil egregij referam ſtudiumq́; manusq́;
Artificis uarios qui nos aptarit in uſus
Dolandoq́; nouis æquarit robora formis.
Scamna, thori, menſæ, porrecta ſedilia, poſtes,
Scrinia, ciſta, ſudes, tabulata, orcheſtra, columnæ,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Et quæ præterea ſunt ordinis huius, ab ipſis
In cœtus ueniunt & magna palatia ſyluis.
Hîc tibi uera igitur iam primùm gloria uictæ
Creſcit, & inſcriptam geſtant tua tergora laudem.
Amplius haud quicquam illudet puer improbus: hœdi
Abfuerint etiam: non te tua frigora preſſent,
Nec tua pugnantes inſternent robora uenti.
Vel te te Reges & curia prima, deorum
Vel te templa colant: uel multæ uirginis uſus
Efferat, ac blandas inter ſis gloria puppas.
Huc ubi peruentum fuerit tibi, culmina ſummos
Sunt ſortita gradus & te natura coronat.
N. *Sed tamen & gratum eſt folio per rura uirenti*
Stare loco celſam, lætosq́ in ſidera uultus
Erigere & denſa ſe latè amplectier umbra.
Q. *Quid lætos uultus, quid latam dixeris umbram,*
Omnia iam pridem cum ſint tibi triſtia? fruſtra
Certatur ſtudijs ſi mens non recta ſequatur.
N. *Euenit ô Quercus miſeris id ſtirpibus, ut ſe*
Noſſe minus poſsint rerumq́ intendere cauſis.
Atqui alias aliud ceu erroribus implicat: omni
Qui ſapere officio & ſua prendere commoda poſsit,
Is demum fœlix & toto eſt aſſe beatus.

COLLO-

COLLOQVIVM V.

Coniungi fruſtra quos natura ſeparat.

BRASSICA. VITIS.

B. *CVm tibi iam ſpacij tantum ſit Vitis in horto,*
Vt noſtras etiam ductis immittere ſulcis,
Aut ſcrobe non amplo radices condere poſſem:
Quid tandem cauſæ eſt, quæ deniq; iurgia dicam,
Auerſata quidem mea quòd ſis fœdera: nec me
Vicinam tibi ſtare loco, & frondeſcere cernas?
Et tamen æthereo qui præſidet autor in orbe
Sancit amicitias rerum, nexuq; beato
Herbarum uires occultaq; munera firmat.
Sed quid non faſtus tumidæq; ſuperbia formæ
Quid non excelſis animi feruoribus audent?
Vos ſolitis equidem contemnitis artibus herbas
Exiguas humileſq; ſolo: quia ſerpere forſan
Longius, & multa ſuccreſcere fronde ualetis.
V. *Non mihi non tales ueniunt in pectora curæ,*
Nec quòd tu herba ſies, poteris contempta uideri.
Aſt ego cum Vitis, cum tu ſis Braſſica, noſtræ
Hanc demum cauſam litiſq; fugæq; putabis:
Quòd neq; te poſſim præſentem ferre, nec ipſa
Tu mea complecti uirgulta tenerrima uelles.
B. *Aut quæ culpa mea eſt? aut quid deliquimus ambæ?*
V. *Res equidem uaria merſa eſt caligine, at iſtud*
Fas te noſſe ſiet (reliquis abſiſte moueri)
Natura minimè quæ ſunt aduerſa, iugari.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

B. *At mihi perpulcrè coryliſq; thymoq; pyriſq;*
Conuenit, ac molles reficit uicinia lauros.
V. *At tibi nequicquam Origano rutaq; perhenni*
Conuenit: his equidem uicinia ueſtra dolores
Cum ſerit, interdum nigras parit aſpera mortes.
B. *Origanum nymphæ deflent, lacrymiſq; ſolutis*
Multiplicant queſtus floreſq; in funera uertunt.
Illa tamen uili plerunq; obnoxia regno.
Exiguos tantum uitæ mortalis in uſus
Creuerat, ac leuibus properabat germina uillis
Contempta, & miſeris inſcripta laboribus. at cum
Ingruit è cœlo uentus, ſubuertit ineptè
Lætantem, & ſæuæ compegit lumina morti.
At rutas acri quòd adurent corpora flamma,
Et latè circum ſtudeant dominarier, eſſe
Vitandas duxi: nec me temeraria bellis
Inſero, nec triſtes meditor mihi ſpontè ruinas.
Non ego pugnaci quemquam uirtute laceſſo:
Nec contra imbelles ego concito fortia neruos.
Arua beata colo, & pacis conſector honores
Multiplicoq; bonum mortalibus: una colonos
Quæ beo, & immenſo cumulauero prædia fructu.
Quamuis hæc etiam pauci benefacta morentur,
Indigniſq; modis meq; & mea cymata tractent.
Nunc ſi Vite quidem perſuaſa condere poſſem
Hoc mea regna loco, & propius conſiſtere doner:
Vicero, & ingrati nil uulgi probra morabor.
Certè ego non uanos conferrem in prædia fructus,
Et ſocios magna colerem pietate labores.
V. *Iam pridem noſtro quæ ſunt tibi Braſsica dicto*

Prodita.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Prodita, conſtanti tibi prodita lege putabis:
Moribus aduerſis non fœdera ſarta coire,
Nec ſua diſcordes coniungere carmina neruos.
Quòd ſi tu lateri iungas latus obuia noſtro,
Et propè conſiſtas, folijsq; induxeris umbras:
Vel tete extingui, uel nos migrare neceſſe eſt.

B. *Et mirum certè eſt, quo me natura ſub auras*
Extulit auſpicio, tenerosq; profundere iuſsit
Cauliculos, interq; herbas frondere uirentes:
Si nihil officio placeam, ſi inuiſa corymbis
Atq; exoſa ſiem. tamen hac me laude uetuſtas
Cumprimis ornare: quòd & ſua gaudia Viti
Reſtituam, & populis animos in pocula firmem.

V. *Quis diras odij cauſas hominiq; cicutæq;*
Explicet, aut Tauro biferam det uincere Ficum?
Cur Milui ſaltem liquidis ſub nubibus umbram
Horret, & incuſſo Gallus premit ora timore?
Cum tamen hic rabidos accenſa uoce Leones
Terret, & in ſubitos tranſmutat corda pauores?
Serpentum inſidias acremq; in uulnera morſum
Quis neſcit? tamen hos ieiuno guttura ſputo
Interimunt. uel cur faſtidiat allia magnes:
Cur rutam felis, patulam cur Vipera Fagum,
Ferrea dyctamnum quid ſpicula trudit? equisúe
Pabula grata negant ferulæ, quas optat Aſellus
Tardior, ac pigro uelut ingerit hordea uentri?
Non cariem Laurus, non fulmina ſentit. Iaſpis
Sanguineos ſiſtit fluxus: formica repugnat
Mandragoris certa uirtute Topaſius ignes
Et Veneris flammas minuit flectitq; calores.

Non facile eſt proferre uices, & multa ſilentis
Munera naturæ, quibus hanc inducere formam
Poßit, & æquatis uarium dare rebus honorem.
Forſitan occultas uires, atq; abdita rebus
Semina formarum cum conſpicienda dediſſent
Numina, non tamen & cauſas uerosq; latentis
Naturæ fontes operumq; exordia quenquam
Scire dabant. ſupero non eſt iniuria cœlo,
Mortali conſtent ſi non ſatis omnia uati.
B. Non mutari etiam tam triſtia uincula poſſunt?
V. Non ea poſſe putes. manet irreuocabile, cœlo
Quod placuit: nuſquamq; dij ſua iura retractant.
B. Stirpibus ingratum eſt igitur traducere uitam
Hanc miſeram, cum non aliena iniuria tantum
Preſſet, & externo celerentur funera morſu:
Verùm etiam proprijs in mutua damna periclis
Seſe onerent, auidosq; ferant in uulnera rictus.
Beſtia nulla ſuo ſe mutua dente fatigat,
Non lupus arua lupis prohibet: non uacca iuuencos,
Non porcos porci iugulant: non damula damas
Exigit, aut toto ſyluarum pellit ab uſu.
Aſt herbas herbæ ſubigunt, & in effera ſeſe
Probra agitant, nimiumq; fero liuore fatiſcunt.
Et tamen his toto uix quicquam pulcrius orbe
Emicat, æthereos ſeu quis ſpectarit honores,
Siue animis ſtudio fragrantem ſubdat odorem.
V. Erras, quantumuis ſolers, & cognita lucro
Multiplici latis præſtes ſua pabula menſis,
Grataq; non dubijs uenias ad fercula dextris.
Beſtia multa quidem uiolat ſe mutua. quanquam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Abſtineant ſpecie, generis non rara uidebis
Vulnera, & immiſſos fraterna in uiſcera dentes.
Quin age, ſi blando ſe iungeret inclyta nexu
Semita naturæ, neq; ſe contraria cuiquam
Inferat, ac nullo pugnent obſtantia motu:
Hac demum fieri quid rerum ſorte putares,
Aut quas inferrent hæc fœdera, Braſſica, formas?

B. *Credo equidem ueteris tunc aurea ſecula Iani*
Falciferiq; ſenis mundo reditura: citisq;
Ad ſua cum canibus uenturos pocula Damas.
Iunctus & agniculis miti Lupus arua ſubiret
Ingenio: nullas uolucer ſtupefactus ad umbras
Horreret uarij Gallus fera uiſcera milui.
Tum iucunda foret plantisq; & uita colonis,
Tum nullæ rabies, tum nulla aduerſa moleſtis
Obrueret totum genus hoc mortale ruinis.

V. *Haud recto certè id contendere Braſſica ductu*
Te ſentire uelim: nihil eſt rationis in illo
Iudicijue modo. confundere ſingula motu
Antiquumq; Chaos mundo retuliſſe uideris:
Idq; adeò ut Vitis neq; me natura deinceps
Hæc mea fulciret, neq; te tua forma teneret.
Aſt unum tum cuncta forent, cum ſcilicet uni
Omnia conſpirent formasq; ſolutio tollat.

V. *An formas etiam mutatum dixeris iri:*
Aurea ſi fœdam dirimat concordia litem?

V. *Lis nulla eſt, ubi non formæ natura repugnant.*
Aſt ſua cum rerum lateant te iura nihilq;
Exquiras proprijs obnoxia ſemina formis:
Ruſtica tecta colis, nec quid ſiet utile noris.

f Non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Non alio mundi compages optima nexu
Firmius æternos in ſe ſibi colligit uſus:
Quàm quòd diſsidijs pulcherrima corpora multas
Interdum lites aduerſaq́; iurgia gignant.
Quidúe album tanta commendas uoce colorem?
An'ne quòd horreſcas atro ſtupefacta? diem quid
Tantopere exoptes: niſi quòd te noctis acerbo
Terreat umbra gelu. blandum ſata planta calorem
Quid captare uelis, ſi non te frigora cœlo
Aſperiore grauent, & hyems te ſæua perurat?
Deniq; cum noſtros complexa furoribus hortos
Ebria turba premit, Cytharæq́; accentibus omnes
Irruit in ſaltus blandasq́; agit auſa choreas:
Quæ res tanta Lyram, totos quæ Braſsica neruos
Commendat? uarijs an' non quia temperat omnes
Vocibus æqua ſonos, & obit manus æmula celſi
Interualla poli numerisq́; imitatur olympum?
Suſcitat harmoniam ſpacij diſtantia. Quod ſi
Vno tota ſono teneras uox impleat aures,
Gratia nulla foret nec haberet Muſica laudem.
Mollibus hæc igitur cum ſe Lyra uocibus armat,
Inflectit uarias ſubigitq́; in gaudia mentes.
B. *Concedo. ſed enim, ſi quid potes, exime noſtris*
Pectoribus curas: & qua ratione putarim
Id fieri, tete tam magnis uiribus auctam
Tamq́; ferentem animos circum faſtigia, mollem
Hanc odiſſe comam folijsq́; reſiſtere noſtris.
Credo equidem ſummis indignum uiribus eſſe
Hæc infirma ſequi ac odijs agitare minores.
Nos humili tantum cum ſtipite tendimus, omnem

Rectius

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Rectius hanc noxam potes aſpernata uideri.
V. Et poteram certè, niſi te natura maligno
Proderet ingenio, & faceres lugere corymbos.
Non quòd parua ſies: ſed quòd ſis dira grauisq;
Vitibus: iccircò te infeſtat Bacchus agitq;
Te procul, & nullo tecum ſe fœdere iungit.
Hic Deus immenſo cum numina cætera regno
Exſuperet, ſola ſe te contemnier acri
Fert animo: cuius cum nos quoq; ſacra colamus,
Te fugimus ſociasq; manus tibi iure negamus.
Quid melius Baccho? quid uino dulcius? huic ſe
Aetherei primùm diui ſubmittere: mox ſe
Submittunt homines meritosq; dat orbis honores.
Quo mage corporibus ſubigentur pabula ſucco?
Quid citius nutrire queat? mutata cruorem
Protinus inſtaurat Vitis, ſeq; alta medullis
Condit, & in medios tenui face labitur artus.
Spiritus eſt, plenoq; deo ſub pectora manat,
Quo ſine uita quidem nulla eſt mortalibus. aut quid
Diuorum placitis ô Braſsica lenta repugnas?
Cede Deo, mollesq; inter cape numina uultus.
B. Non mihi ſidereum contra pugnare Tonantem
Aut uires fuerint, aut mens perſuaſerit. huc ſe
Turba equidem ſtygijs funeſta laboribus olim
Intulit, ac celſo minitatur uincula cœlo,
Fruſtra etiam: cum nunc meritos ſæua Aetna dolores
Congerat in ſtultos & terrea monſtra Gigantes.
Tum uerò quæ tu Vitis modò uera profaris,
Amplector. Sedenim quæ ſunt incommoda, mira
Protinus arte premis, fucumq; & damna ſilendo

Occultas, cur blanda tegis quo læſeris igne?
Nam quæ prima quidem, aut quæ proxima deniq; culpem?
Quæ querar? excedunt uirtusq; & gloria menti:
Stulticiaq; ~~homines~~ ſuperant, raptantur, aguntur,
Et furit ~~inuiſo cum~~ turba ſit ebria motu.
Quin fœdos pandunt rictus, aliena capeſſunt,
Et ſibi nequicquam fingunt, quæ prendere nuſquàm
Conſilijsúe queant, factisúe inducere poſſint.
Mox uires languor ſubigit, faſtidia, morbi
Exiſtunt, aliquaq; lues in corpora ſerpit
Spiritibus celerata malis: tum plurima mentis
Pernicies, animoq; ferunt ſua funera uentres.
Deniq; cum læſo properent mala cuncta cerebro,
Qualia multa quidem nimium meminiſſe dolori eſt,
Quis damnet, cum te tam noxia dona ferentem
Viribus & toto quantum licet aſſe repellam?
Haud ego magnificis nitor uirtutibus omnes
Herbarum præ me ſtudio contemnere formas:
Quæ uos ſola malas ratio beat, aſt mihi ſi quid
Occultæ fuerit naturæ aut muneris, illud
Humano meme generi debere fatebor:
Non minus, expaſſo quàm ſi ſubtegmine ſurgam
Textilibusq; feram memoranda umbracula ramis,
Nemo equidem mediocri etiam uirtute moueri
Teq; tuosq; putet, celſasúe remittere criſtas,
Nos aliquo ſaltem ut miſeras digneris honore
Coniungiq; ſinas, propterq; aſſiſtere dones.
Non ea, non tumidæ ueniet moderatio Viti,
Nec cadet in tantos tam fracta ſuperbia uultus.
Solæ exoptato ceu iure inſurgitis, alto

Tenditis

Tenditis in ſuperos & celſa palatia greſſu,
Poſſeq́ nos etiam prohibetis ad ardua niti.
Hîc igitur tacitoq́ ſinu gaudemus, & æquas
Interea menſas hominum dulceſq́ popinas
Ingredimur, ſtomachoq́ leues affundimus eſcas,
Duraq́ commoto lenimus fercula uentre.
V. *Sit ſanè, haud nullas etiam te Braſica laudes*
Hoc inter mortale genus, ſi numina faxint,
Conſequier. magnum eſt temulenti damna cerebri
Diſcutere, ac ſubitos lenire in pectore motus.
Quin ſucco ualeas, quo cum aduerſere lyeo
Hanc ſtultis noxam mortalibus ablue: diuûm
Munus id eſſe putes, quòd tanta in munera ſurgas.
Vnum igitur concedo (uno contenta quieſcas
Braſica læta bono: quid enim uetat iſta fateri,
Nec benè uel tecum, uel te ſine uiuere poſſum)
Quod te uelle putem, menſis inferrier aude:
Daq́ operam tenui uenias ut grata palato.
Sis temeto medicina graui, contraq́ furentem
Vaſtantemq́ feras pateris tua ſemina Bacchum.
Hæc uerò tete uitare pericula mando,
Quæ folijs mortem tulerint, capita ardua ſternant,
Expellantq́ locis totaq́ è claſſe fugarint:
Haud te uicina iunctam mihi ſede morari,
Tangere uel noſtras imis radicibus umbras.
Cætera magnoperè haud tibi nunc aduerſor. eundum eſt
Quà natura ferat, cauſaſq́ inflectere poſſit.

COLLOQVIVM VI.

Bonis fauendum eſt, inuidendum nemini.

ALNVS. FRAXINVS.

A. *NAturas rerum uarias, & multa ſiniſtræ*
Pondera fortunæ querimur. quo numine montes
Tollier, aut humiles ſtatuas ſubſidere ualles?
Quis mundo leges, & inhoſpita iura uiceſq;
Intulit haud certis agitatas caſibus? amnes
Quis flexo tumidos ſubuolui limite iuſsit,
Arreptaſq; uias decliuibus abdere ripis?
Incertum eſt quo uita bono fulcitur: agit' ne
In præceps aliquis Deus, & ſubuoluit olympo
Quod ſumus, ac dubio detorquet ſecula motu:
An fortuna regit, cæcis quæ paſsibus errans
Alternat ſortes & inepta diuidit urna
Quæ temerè uaria partitur munera lance.
An uerò caſus ſupero contraria cœlo
Cauſa, leues atomos uolitantia ſemina nullo
Cogat in acta gradu neq; certo immiſceat orbi?
Quæ mihi prima quidem uiſa eſt, ſemperq; uideri
Fraxine prima poteſt tantorum cauſa malorum:
Ne Phœbo quiſquam quæ ſunt aduerſa calenti
Imputet, ac ſuperis adſcribat noxia diuis.
Si Dij, ſi cœlo ſunt numina: deniq; ſi nos
Hæc etiam curant, infernaq; facta tuentur:

Haud

Haud dubium eſt quin recta ferant recteq; miniſtrent,
Et totum firmis incingant legibus orbem.
Nunc uerò ſalui tam magno in corpore rerum
Dixeris eſſe nihil. ueluti cum turbo iacentes
Corripit actutum paleas, & in aera ſpargit,
Perq; ſuos ultrò uolitant ea corpora gyros:
Sic res turbato ſpectantur limite: nuſquam
Prima manent, ſemperq; noua ſe nube fatigant,
Et repetunt uarios diuerſo ex ordine uultus.
Infera miſcentur ſuperis: mortalia uano
Pectora luxuriant: omnis ſua pondera uirtus
Perdidit, ac ambas implerunt crimina lances.
Temporibus ceſſere modi, non bruma uetuſto
Non Aeſtas curſu, non Ver, non lætus Iaccho
Voluitur Autumnus. facies nunc altera mundo
Surgit, & antiquum uerſo chaos ingruit orbi.
Quod rectum eſt, nuſquàm eſt. uirtusq; bonumq; decensq;
Exulat, ac toto moderatio ceſſit ab æuo.
Aut quid noſtra etiam non damnas ſemina? latè
Herbarum tendunt uires: ſed fœdere nuſquàm
Sincero coeunt, neq; mutua iura tuentur.
Hanc aliæ ſpernunt, alijs eſt iſta pudori,
Hæc uiret, hæc tenui ſuccreſcit acumine, ramos
Exerit hæc, aliæ paſſis radicibus errant
Quæ paucis umbram decernunt frondibus. iſtic
Maturi pendent procero è ſtipite fructus:
Hic ueniunt nulli. fluuijs ſtat populus, ornos
Sicca ferunt, abies celſis in montibus, ulmis
Incumbunt uites. Sunt quæ ſua ſemina fundunt,
Sunt quæ nulla fouent. longum eſt meminiſſe uagantis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Naturæ flexus, quæ ſi quid in ardua certi
Robora ſucceſſus, ſi uincula firma teneret:
Omnibus una foret facieſq; & gloria rebus,
Nec tam diuerſo lacerata fatiſceret uſu.
Haud, quæ prima queri, uel quò me uertere poſſim
Conſtiterit: nihil eſt lacrymis urgere Tonantem
Præſidijúe aliquid cœlo ſperare: quòd eſſe
Numina nulla putem. uel ſi ſunt; noſtra profectò
Non curare deos, rebuſúe intendere noſtris.
Quod ſibi quiſq; poteſt raptu cumulare procaci,
Eſſe Deum: uanos tantum dare cætera plauſus,
Aut leuibus ſaltem terroribus ædita ferri.
F. *Deſine funeſtis inceſſere uocibus omnes*
Alne Deos: nulla eſt petulantis gloria linguæ,
Nec poterint laudem quæ ſunt non recta mereri,
Tu turpi certè affectu cum dira labores,
Omnia confundis: cœlumq; ſalumq; ſolumq;
Aut ſi quæ cœlo ſunt maxima corpora, miſces.
Dij quantas animo peſtes geris. exue mentem
Alne feram, ponaſq; modum & ſacra limina dictis.
Non aliud magis inſanit quodcunq; caducos
Stipitibus rectis effundit in aera uultus.
Et mihi iam pridem tecum durare moleſtum eſt.
Subter & alueolis labentes cernere riuos,
Aut gratas folijs cumulare uirentibus umbras,
Sæpè quod eſt diris iactatum uocibus hæſit,
Vicinumq; grauat. ſpargit commota uenenum
Et non uiſa lues: ueluti cum noxia ſæuos
Temperies agitat correpta in uiſcera morbos.
Quin uuam memorant conſpecta protinus uua

Ducere

Ducere liuorem. exiguum eſt, quo flamma propinquas
Perdet acerba domos: ſcintillam abiecit in agros
Fortè aliquis, latas cum mox incendia ſyluas
Arripere, & ſubitos uideas graſſarier ignes.
Non temerè cœlum laceres bacchata: Tonantem
Et ſupereſſe ſcias, & non neſcire proteruæ
Inſulſæq́; etiam mendacia publica linguæ.
Hunc equidem fandi memorem pariterq́; nefandi
Te ſperare uelim: ſatis eſt tibi maxima ſoli
Vulnera blaſphemæ circum præcordia uerti,
Ne diros animis halitus & noxia menti
Verba, etiam miſeris aſpergas ſtirpibus. aut quid?
Dij ſyluas curent, & frondibus omnia noſtris
Hac ſine labe quidem, & tanta ſine clade ſecundent.
A. *Quo tamen id tandem perfectum numine dicam*
Fraxine, præſtanti donatam robore Quercum
Ducere perpetuam longiſſima ſecula uitam?
Quis deus huic poterit tantum tribuiſſe? uirentem
Quis Laurum æternis ueſtiuit honoribus? at nos
Indecores, nullaq́; etiam ſub laude relictæ
Inuiſam trahimus ceu duro in carcere ſortem.
Nos etiam cur non aliquod nomenq́; decusq́;
Tot inter gerimus proceres? quo ſidere frondes
Spargimus, ac totas incingimus arte paludes?
Aut iniuſta neget quis cœlica numina? cum nos
Eſſe quidem uellent, ſimiles cur eſſe uetabant
Omnes, ac parili ſubtendere brachia cultu?
Diſpudet hoc quoties in flumine membra comasq́;
Et uirides uultus & denſa cacumina cerno,
Haud equidem ornatam magnæ me creſcere laudi,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Nec mihi fœlices ad maxima ſurgere ramos.
Impetier ſedenim dolabris lentaq; ſecuri
Sternier atq; auidis deradi culmina dextris
Hæc Alnum ſors una premit. coma ſæpius omnis
Tollitur, & miſeris uitam in radicibus abdo.
Haud quiſquam ſacris Diuorum me applicat aris,
Non templis inferre parat: non poſtibus addit
Heroum, aut celſis iungit mea robora muris.
Hæc mihi non iuſtè fieri, non recta uidentur
Fraxine. communi communia ſorte fruantur
Diuerſosq; adeò quæ ſunt diuerſa coronent.
Vel mihi fas aurata ſiet laquearia regum
Tangere, & auguſtos cruſtis immittere poſtes,
Exornare thoros domibusq; inferre columnas:
Vel certè mecum damnari in uilia quercum
Seruiliq; manu ſucciſam perdier, ignes
Paſcere, & ingratos mecum ſentiſcere lapſus.
Dijq; deæq; omnes, aut ſi quæ numina cœlo
Forſitan eſſe putem, Quercumq; & deniq; Laurum
Et ſi quæ Lauro fuerit ſua gloria, perdant.
F. Me miſeram totis cui non excedere campis
Fasúe modusúe ſiet. Deus hæc me prata tueri
Iuſsit, & aerios inter ſuccreſcere montes.
Quæ precor Alne tuos agitant tibi frigora ſenſus,
Quis mentem genius pellit turbatq; medullas,
Et ſtimulat tota dirum radice uenenum?
Dij triſtes mundo tantasq; auertite peſtes,
Inq; maligna ferum detrudant uota barathrum.
Hæc eſt illa uetus petulantis ianua linguæ
Et diri morſus & mens infida, malorum.

Aemula:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Aemula:cui totam ſcelerum molimine uitam
Metiri:& tantum uolupe eſt ſibi plaudere,quantum
Vel nocuiſſe queat,uel recto demere poſſit.
An' ne aliqui tandem caſus,aliquisúe deorum
Te tibi commeritis agitatam fluctibus Alnum
Aut flexiſſe queant,meliora ut uota ſequare:
Aut penitus,cum te capere haud potes amplius,orco
Præcipitent atriſq; onerent tua labra chelydris,
Et condant meritos aliquando in guttura nexus?
Credo ego ſidereum,quæ mens eſt iuſta,Tonantem,
Cum nil concedas ſuperis,tibi texere longam
Supplicij telam:capias ut præmia uotis
Digna tuis,ſtultoq; nihil lætaberis auſu.
Quos etenim inuidia & ſuperi blaſphemia cœli
Exſtimulant, quibus & triſtes alit uſus Erinnes,
Et ſub pectoribus ſceleratos implicat angues:
Hos nec uti uirtus,nec mens perfracta periclis,
Nec diuûm monitus fœdo à conamine pellunt:
Sic equidem magna correptos clade neceſſe eſt
Rectoris Stygij triſtes aliquando tenebras
Sentire,ac meritas luere ob fera crimina pœnas.
Huc ſimul Inuidia omnis abit,qua tute laboras
Infœlix:hæc cum pulcherrima corpora,Laurum
Et Lauro,ueteri coniunctam fœdere Quercum
Perſimili tecum uelles ſub ſorte teneri.
An' ne uides quo te ſubuertis funere? uel quæ?
Quæ tibi cum Quercu,cum ſacra deniq; Lauro
Eſſe queant commercia? num tibi plurima lucro
Stulticia exiſtat? ſoli' ne proteruia damnum
Non ferat? an tumidos impunè accenderis ignes,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Bacchandoq́ agites ſceleratas anxia uoces?
Aut quid? num ſterili ceu tu, gratiſsima cœlo
Quercus in hæc demum proſpectat prædia ramo?
Num Laurus? ſuperis hæc ſunt iunctiſsima Diuis
Munera, quæ humanas inter pulcherrima gentes
Imperium exercent lateq́ effuſa miniſtrant.
Tu ſeruire uelis, cui te natura creatam
Intulit officio. reliquis concede beatis
Exundare comis & honores inter haberi
Præcipuos, cum uel ſummis ſtant prima Monarchis
Gloria, uel primas immittunt laudibus urbes.
Deniq́ cultura quid nil te poſſe moueri,
Nil uirtute putem: cum uel tibi mollia Nymphæ
Brachia ſubtendant, uel ligna ſuperflua iunctis
Detergant ſtudijs flectantq́ in ſidera ramos?
Aut quid & hoc memorem? Gallinæ filius albæ
Qui te qui noſtras nonnunquam blandior umbras
Viſit, & hunc ſubter labentem fingit ad amnem
Ora, genas, oculos, rutilantia tempora, uultus,
Frontem equidem eximius placidisq́ ſimillimus undis:
An' non officio ſeruit tibi? noxia circum
Amputat, ac preſſa ſubigit uirgulta ſecuri:
Ne tibi uel numero pondus, uel pondere corpus
Sidat: & haud iuſta ſurgant tibi brachia fronde.
Et tamen ingratum eſt, ſi tete hominesúe Dijúe
Officijs ſtudeant, & cultu uelle mereri.
Hoc opus inuidiæ eſt & acerbi prima furoris
Seu nota, ſeu rabies: cum tu quibus Alne uenuſtis
Deſtituare bonis, alios excellere prauo
Planè animoq́ atq́ ore feras, cum fœda malignam

His

His agitet ſtudijs uerſetq; calumnia mentem.
Excute funeſtos animi de pectore motus
Et meliora deos ſuperumq; age poſce Tonantem.
Gratari potius deceat, non omnia uili
Condita lege teri. miſeras ſatis oro putabis
Eſſe aliquas. quanquàm ſi res ratione feratur
Vera etiam, miſera nihil eſt quod dicere poſſis
Conditione premi: magnis quando uſibus omne
Hoc genus inſeruit, ſi quis benè nouerit uti.
Eximium decus eſt cariem neſcire: Deorum
In monumenta legi tectisq; inferrier altis.
Sed tamen & noſtris aliqua eſt quoq; gratia lignis
Et penitus ſacro nuſquam prohibemur ab uſu.
Aeternas Veſtæ flammas ignemq; beatum
Ipſa foues. bellis ego robora noſtra dicaui.
Et Muſis. rigidis fundamina molibus Alne
Prima iacis, ſubterq; tuos inſternis in alta
Pondera complexus, quòd plurima ſecula limphis
Obruta perdures atq; integra corpora ſerues.
Tu formam corio inducis primumq; colorem:
Tu iuga dura leuas, tu uanno mollia reddis
Pondera: non aliqua te parte carere coloni,
Non ea tecta queunt. Cererem tu ſepibus ambis,
Et teneros arces maturis frugibus agnos.
Aſt uno excellis, tibi quo contendere ſtirpes
Haud aliæ poſſunt: ſubito quòd falce reciſa
Virgulto ſurgas, neq; te tua damna morentur,
Quo minus actutum priſca in ueſtigia tete
Moueris, ac ſubitos repararis frondea uultus.
Vix ſua reſtituent ſubuerſam ſecula Quercum.

Nec celerem reddunt exciſa cacumina Laurum.
Te tua moles agit, læta & radice reducit
Germina, quæ facilè reuocant noua robora curſu
Et dicto citius ueteres nituntur in uſus.
Ruſtica quapropter te gens colit. & tamen iſta
Non etiam minimum laudari gente putabis.
Iuppiter ipſe polo cum fortè elapſus in orbem
Hunc noſtrum poſita tum maieſtate ueniret,
Rura beata ſubit. quid erat Ioue maius? at illum
Hoſpitio pia Baucis anus ſeniorq́; Philemon
Excipiunt lætiq́; fouent facilesq́; miniſtrant
Concordes, ſtudijsq́; deum & pietate merentur.
Nos igitur cum tecta colant nunc ruſtica, ſanè
Has ſectemur opes, grataq́; hæc prima colono
Præmia reddamus, facilè ut reparemur, & omnes
Ornemus pagos: ne, ſi uirtute relicta
Ingratæ ſimus, ſpe falſum ſe eſſe queratur.
Interea Auguſti poſtesq́; ac atria Regis
Aſcendant Quercusq́; ferax Laurusq́; uireſcens
Lignaq́; magnificis accommodet aurea regnis.
Tuq́; etiam faueas animo: gratare ſorori
Fœlicesq́; precare gradus, ut maxima ritè
Eueniant, quocunq́; dij uirtusq́; uocarint.
Iucundum eſt ſpectare, bonos florere. maligni
Ingenij eſt ita te fortunæ obſiſtere: ne quid
Alterius per te conſiſtant fata ſuóue
Vtantur curſu famamq́; è laude ſequantur.

A. Non ea pectoribus mihi mens inſedit: amaui
Semper obeſſe bonis. id iam ſucceſſit, agitq́;
Strenuus has etiam, qui te latet aſſecla partes.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

F. Et lateat. neſciſſe aliquid tutiſſima res eſt.
Hoc certè miror cur, cum fateare doloſam
Sectari aduerſus te cœlica pectora callem,
Ore tamen blando placeas: ita dulcia linguæ
Verba fluunt: ceu Nelidi cum fluminis inſtar
Aurea dicta ferunt alacri manaſſe labello,
Et grata fortes traxiſſe è uoce Pelaſgos.
A. Haud ſapis: hæc ſola eſt mihi quæ iam ſemita totos
Perficiet numeros. hic caſſis & unica rerum
Naſſa capit, quas nulla capit uiolentia mentes.
Sanè opus artifici eſt animo, cum fallere rectos
Et luſiſſe uelis. non alea protinus iſta
Omnibus arridet. pauci quos æquus amauit
Mercurius talem potuere obtendere formam,
Et minimè uili tibi fucum obtrudere lucro.
Quin uerò exemplis moueor. quid profuit uni
Eſſe bonum Cycno, & uarijs ſtuduiſſe mereri
Officijs multos? Aquilis eſt præda ſuisq́;
Sanè etiam è gregibus duriſſima uulnera ſentit.
Cumq́; alios alijs inuexit honoribus, atro
Plerunq; appetitur multorum gutture: quem cum
Obruere haud poſſint, quòd Phœbo militet: id quod
Seſe poſſe uident, coniunctis morſibus acres
Expediunt rictus niueoq́; extrema minantur.
Etſi autem nihil his ſtudium ſuccedat: & omnem
Aſpicias operam ſtulta in conamina perdi.
Cum tamen abſiſtant nuſquam malè uelle: profectò
Nos ea delectat ratio quoq;. ſiue quòd iſtud
Sic fieri iuuet, ac rectos preſſiſſe uoluptas
Summa & ſola ſiet. ſeu quòd florere malignos

 Tute

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Tute etiam uideas: qui quòd nocuiſſe ferantur
Id lucro inſcribunt, facinusq́ in præmia uertunt.
Hos ego conſector, moresq́ audacia firmat.
F. *Agnoſco: Dij recta uelint & iuſta tueri.*
Et tamen iſta ſcias, nunquam te perdere Quercum
Poſſe, nec æterno Laurum ſpoliaris honore.
A. *Perdere non Laurum? nec poſſe exſcindere Quercum?*
F. *Haud te poſſe ſcias. Viuo Ioue Quercus amatur:*
Phœbus amat Laurum. quid Apolline maius? & ipſo
Quid Ioue maius habet, quantum patet orbis? ineptè
Sollicitas uotis quò non pertingere poſsis.
Tum quæcunq́ Deûm ſunt condita legibus, hæc tu
Condita recta putes. Alnum tete eſſe iubebat
Naturæ genitor: Quercum diuiſit ab Alno,
Et ſolidis Laurum ſub fructibus extulit. iſtis
Omnia ſunt pridem diſtincta è finibus. atram
Dij mentem perdant, & quæ ſunt alba coronent.

COLLOQVIVM VII.

Auaro diuitias etiam deeſſe maximas.

PYRVS. PLATANVS.

PY. *CVm mihi prima leues tenero de cortice ramos*
Truderet ac folijs ornare uirentibus ætas:
Hæc tua confeſtim nobis immenſa cupido
Creſcendi ſuſpecta fuit. Suaſere ſorores
Vt noſtros aliò transferrem cauta penates.

Nec

Nec uicina tuis efferrem brachia regnis.
Non quòd noſtra quidem poteras exoſa uideri:
Cùm Platanus gremio non auerſante recentes
Herbarum frondes & germina prima benigno
Complexu foueat uireſq; ſequacibus addat:
Sed mea cum ſcirent tardo mihi corpora motu
Surgere: te contrà facili tua maxima curſu
Robora moliri ſpacijsq; ingentibus uti:
Cumq; etiam poſſem ſubitis inuoluier umbris
Extremamq; necem lentaſq; ſubire ruinas:
Venturas equidem clades ſerumq; periclum
Iam multò ſpectare prius, trepidæq; monebant
Vt quas tum poteram uitarem ſedula mortes.
Aſt nihil hortatus, nil cautæ plurima linguæ
Iuſſa mouent. manſi tecum creuiq; per omnes
Huc prouecta gradus, media mihi donec in umbra
Sors ferat excluſo funeſtos Sole dolores.
PL. *Multæ equidem ſurgunt circum tibi pectora curæ*
Et uarijs onerant ſeſe tua dicta querelis.
Neſcio quid primùm damnem, ſtolidas' ne ſororum
Ambages: uel te non protinus eſſe ſecutam,
Cum canerent teneræ tam certa pericula frondi.
Sed fruſtra eſt gemitu ſortem quæ effluxit & inter
Eſt elapſa manus ceu deplorare: priora
Corrigier lacrymis non poſſe incommoda noris.
Et nunc hercle tibi optarem meliora, locoq;
Non ita uicino noſtris te aſsiſtere ramis:
Libera nequicquàm tibi cum ſit copia frondes
Spargere, & in ſuperos hæc pandere culmina uentos.
Quicquid id eſt, ſoli tamen hæc res una colono

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Pertinet: ut certo uel nos committere poſsit
Limite, uel patrijs ſi ſic uolet auferat aruis.
PT. *An Dominum neſcire putas quæ commoda noſtris*
Fructibus ampla legat? dominum accuſare proterui
Ingenij eſt: neq; enim id faciunt quibus optima toto
Pectore mens ueris uirtutibus inclyta regnat.
Quin nihil in dominum ſi quid peccatur, inepta
Reijcias: tua te primùm natura procacem
Eſſe dedit: cui quod ſatis eſt, plerunq; uideri
Non ſatis eſſe ſolet: cum tu maiora ſequendo
Semper & ampla petas, ramisq; ſequacibus inſtes.
PL. *Et certè uideo meme accuſarier. at tu*
Quod iuſtum eſt carpis, meq; hîc ſine crimine damnas.
Quò me fata trahunt & olympica iuſſa ſequendo
Progredior. Diuos reprendas ſtulta, Iouemq;
Inſimules. aut quæ ſunt nobis deniq; uires
Has niſi florenti ſubdat Deus? ipſe colendo
Multiplicat ramos halitusq; inſpirat eunti.
PT. *Non mihi cœleſtes inceſſere uocibus unquam*
Cura proterua fuit. te contra expoſtulo: cuius
Multus in ore quidem cum ſit Deus, omnibus ipſum
Tu ſtudijs tamen alta negas, quando opprimis illos
Quos ille aſſertos, quos dignos lumine ſeruat.
Quin natura tibi quos auxit blanda meatus,
Si me ſcire negas ſtupidam contendere poſsis.
Deniq; diuorum cum ſit mihi nota uoluntas,
Cumq; ſciam quà fata premant, ne finge Tonanti
Conſilium, cuius ſe noluit eſſe proterui
Participem. ſatis eſt tete improbitate maloq;
Linquere, ne diuos etiam in tua crimina traxis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Opperclumq́ uelis tibi criminis eſſe Tonantem.
Quòd ſi uel poſſes totos inuoluere montes,
Si totos poſſes inducere frondibus hortos,
Haud ſatis eſſet agri, quod tu complexa teneres,
Incingasq́ adeò ſpacijs umbraq́ ſequare.
Vt uentura petis, tibi ſic præſentia deſunt:
Nec ſatura eſſe potes. Si quis tibi conferat omnem
Hunc etiam, terris quantum ſe porrigit, orbem:
Forſan adhuc data pauca putes, maiora requiras,
Et quæ ſunt nuſquam, cupias tamen eſſe. profectò
Semper auarus eget, toto licet incubat auro:
Semper hians auidos in lucra informia rictus
Pandit. Vt immani cum fracta uoragine tellus
Diſſilit: haud aliquo ſuppleri pondere gurges
Poſſit, & iniecta uix prendas mole ruinas,
Haud ſecus ingenio uaſtæq́ cupidine mentis
Stipat auarus opes plenasq́ recondit in arcas.
Deniq́ non cedit numeris: ea maior habendo
Sæuit, & immenſo graſſatur flamma ſub igne.
Cui quantum inijcias tantum auxeris: ut nihil undæ
Concedunt, ſubtus quibus unda ſuperflua pellem
Farcit, & immani diſtendit corpora lympha.
Hanc curam iniecit mortalibus æmula duri
Tiſiphone imperij, turpes ubi ſubdola primùm
Indidit affectus ſparſitq́ in membra uenenum,
Et tacitum merſit cæca in præcordia uirus.
Hic etiam Platane arrodit tua uiſcera ſerpens
Et cogit proferre comas, longiſſima ductu
Stringere te ſpacia, & gradibus proſerpere: latis
Quin folijs etiam proiectos tendere ramos,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Et nuſquam expaſſas trahere ad mediocria frondes.
Cum tamen & nullo, tanta eſt petulantia, fructu
Luxurias, at egena uires, & ſtipite penè
Inſurgis uiduo, neq; te tua pignora denſant.
Quapropter miſeram te confiteare neceſſe eſt,
Siue quòd hæc auido ſtimulentur pectora morſu
Nec ſatiare queant uaſtam noua pondera mentem,
Siue quòd ingenua nequeas te prole beatam
Dicere: quantumuis paruas tibi neſcio bacchas
Quas coma fracta tulit ſpeq; hac te luſit inani.

PL. *Sum tamen umbrarum decus, & latiſsima fundo*
Brachia. ſub noſtris hominum denſiſsima ramis
Turba latet: non Phœbe iacis tua tela per umbras,
Et nihil ingentes perrumpunt tegmina nimbi.
Nos populi mirantur, & hanc mihi condere laudem
E Lycia Cretaq; ſtudent, certantq; paratis
Officijs, nitidam fœlix ubi Iuppiter ulnis
Dicitur Europam platano preſsiſſe ſub alta.

PY. *Egregiam uerò laudem & præconia dignis*
Inſcribenda notis, latebras cum ſedula præſtes
Flagitijs, turpiq; malum ſecteris ab uſu.
Scilicet immani ne quicquam deſit auaro,
Impuros uitiorum aditus & luſtra ſtupendis
Nequitijs concedit, opesq; è crimine uanus
Colligit. huc adeò ſimulata modeſtia creuit
Submiſſæq; genæ, & dubijs frons horrida rugis:
Huc blandum ſacræ uirtutis nomen, & omnis
Gloria deuenit. tantum leue pectora lucrum
Sollicitet: mox hîc operam ſpondebit auarus,
Et quocunq; uoces, ultrò in ſcelus omne ſequetur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Hoc ſtudium harpyis, hæc eſt uictoria: cædes,
Furta, uoluptates, mendacia: deniq́; quicquid
Aduerſum diuis, auido tegit omnia uultu:
Conſentitq́; alijs etiam, uenditq́; lucello
Nominis eximij famam. ſint lucra, negarit
Eſſe deos, ſanctoq́; etiam dare præmia facto.
Hîc igitur meritam quis te non eſſe loquatur,
Vt tua ſuffuſo radixq́; & brachia poſsint
Creſcere læta mero? non te liquor omnis in omnes
Suſcitat articulos: blandum eſt, quo crimina ſurgunt
Principio. impenſis ueniant tibi noxia curis
Et fiunt dulci maiora pericula damno.
PL. *Aſt hominum ſtudijs umbras ego proueho. quid ſi*
Officijs etiam poterint pietatis abuti?
PY. *Non homines cogunt. Verùm eſt tibi cæca uoluntas*
In præceps, animoq́; malum blanditur auaro.
Quid commeſſari, menſas, conuiuia, luxus
Sectari libeat? patulas bacchantibus aures
Quid tribuiſſe iuuet? molles recubantibus unà
Sæpè thoros ponis ſinuasq́; ſub arbore lectos.
Conſilijs opus eſt, quoties natura repugnat,
Nomen ut eximium grato cum robore ſerues.

C. Eraſmi Michaelii Læti,

COLLOQVIORVM MORALIVM Liber II.

COLLOQVIVM I.

Beneficio affectos, plerunq; primos lædere.

CVCVLVS. COLVMBA.

CV. *VT mihi ſuccedunt teneræ primordia uitæ?*
Euax, arbitrio fruimur. quæ numina primùm,
Quod genus alituũ, quæ deniq; tempora laudẽ?
Iam ratis exceſsit ſcopulis, iam ſulcat apertum
Prora fretum, & paſsis ſubigũt ſe cornua uelis.
Ingratas hyemis latebras & inhoſpita ruris
Liquimus arua, procul tendendum ex ædibus, & me
Fas liquido fuerit rediuiuum oſtendere Soli.
Huc equidem Coccyx latuit ſatis uſq;: feratur
In lucem deinceps, patuloq; ſub æthere lætos
Oſtendat, dulci uiuacior ore uolatus.
Quanquàm haud ignorem uolucrum meme inter haberi
Inuiſum plerunq; greges: quia ſcilicet illis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Blandius harmonicos iterant mea guttura cantus,
Mortaleſq; auido captant hæc munera uultu.
Iſta autem toties mihi contemnenda putaui
Agmina: quæ noſtris ſe fruſtra opponere dictis,
Aut ſtudio ſaltem poterint erraſſe uideri.
Quis non Fringillam faſtidit? Chlorida temnit?
Quem Philomela mouet? quis auem, cui carduus indit
Nomina, ſuſpectat? quem uel Ficedula ducit,
Vel Caſsita trahit? Paro quid amœnius? aut quid
Pulchrius eſt Pſytacho? Sturno dare nomina poſsis,
Quæ referat, totam dum uocibus occupat aulam,
Humanoſq; ſonos inſtructo è gutture fingit.
Laudentur Merulæ fruſtra: pellatur hirundo
Nec ſub tecta ſiet. parua eſt ea turba uolantum,
Edita delicijs ſaltem: cui maſcula uirtus
Sordet, & ingrato tantum ſtrepit improba cantu.
Me uerò agricolas & amantes lucra colonos
Quis magni feciſſe neget? me ruſticus unam
Spectat auem, noſtriſq; infert concentibus aures,
Obſeruatq; meos operoſa in facta uolatus.
Deniq; nec Cuculo, neq; galli uoce carere
Vita poteſt. quid enim? annorum ſubeuntia plauſu
Tempora deſigno: atq; hyemis ceſsiſſe rigores
Teſtor, & æſtiuos hæc ferri in climata Soles.
Gallus at è tenebris, hominum rimatur in uſus
Partiturq; etiam noctes, & ſegnia cantu
Pectora nonnunquam rerum in certamina mittit.
Nos igitur iam rura colunt, meritoq; beatos
Optatoſq; uocant. ego cunctas una uolucres
Deſpicio, & quantum ſe fert occaſio, duras

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Has inter pugnas & triſtia uulnera firmo.
Interea cœlo aduerſor. mihi pallida ſeruit
Tiſiphone. hanc laudo diuam, ſolamq́ celebro
Contemptor ſuperûm, & magni uetus hoſtis olympi.
At Verno melius nil quicquam eſt tempore, primæ
Aeſtatis ſeſe qua parti iunxerit. iſta
Luce quidem gratum eſt tentanti plurima ſyluas
Peruolitare, proculq́ aditus ſubijſſe latentes
Et nihil informes celare in carmina rictus.
Tum læto certè mundus ſub flore uireſcit,
Tum redeunt Soles, tum formoſiſsimus annus,
Et paſsim teneræ quærunt noua fraga puellæ.
Eſt tamen & ratio, quæ te mihi prima Columbam
Euincit noſtris acceptam moribus eſſe,
Quodq́ inimicitias tecum non æmulus optem.
Nam cum recta ſies habituq́ inſignis & albo,
Cumq́ etiam ſimplex, & libera felle putere:
Deniq́ cum nulli noceas, ſed manet in omnes
Officium: quantumq́ uolas agitata per auras,
Sidera tantum etiam potes exornare uideri:
Euenit ut placido tecum ſub fœdere durem,
Sectandamq́ putem: cùm ſis ſtudioſa, gemasq́
Et uideare dolis etiam procul omnibus eſſe.
Hinc mihi iam conſtat tecum concordia. qualem
Optarint plerunq́ boni: cum maximus æui
Hic fructus ſiet, ingenuo ut potiaris amico
Tali equidem, tua cui uel læta, uel aſpera poſsis
Credere: quo demum ſtudijs utare ſecundis,
Cum tibi pars miſeræ ſit prima ac ultima uitæ.
Ceu cum noſtra tuis pulcherrima pignora nidis

Inſero:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Inſero: tu nulla defungi parte recuſas,
Quo minus & fœtus cures, & gnara futuri
Omnia ſollicitis meditata laboribus addas.
Tu mihi ſuſceptam ſobolem paruamq; iuuentam
Præceptis formas: tua nos ſanctiſsima pulcrè
Diſciplina trahit, uitæq; ad maxima ducit.
Quicquid id eſt celebri quo nos ſumus ædita partu
Corpora, torquatæ fas ſit mihi ferre Columbæ,
Et primos lucis me aditus debere fateri.
Salue equidem ueneranda parens, fidiſsima nutrix,
Grata dijs, noſtroq; etiam iam nobilis auſo.
Dij tibi, quæ poſsis animo cepiſſe uideri,
Hac etiam noſtra moti prece uota ſecundent.

CO. *Subuerſum æthereis dirum Salmonea flammis*
Diſiectumq; ferunt, ſcelerata perditus arte
Cum ſimulare Iouem, & iaculari fulmina uellet.
Hunc equidem ſtructo memorant in ponte citatos
Quadrupedum currus & equos agitaſſe uolantes,
Impulſasq; rotas ſtrepitu quaſſaſſe per urbes
Argolicas, fremituq; faces ſparſiſſe: Tonantem
Vt uerum flammas & ſpargere tela putares.
At Deus hunc ſtygio properè immerſiſſe profundo
Dicitur, ultorem ſeq; exhibuiſſe ſuperbi
Pectoris, ac merita penſaſſe hos clade furores.
Nunc uerò diuos, rerum quid fortè geratur
Ignorare putem: qui cum te tanta locutum
Et tam dira ferant, uiduatum prorſus Olympum
Fulminibus ſtatuam, aut nullum ſupereſſe Tonantem
Vlterius, tua qui ſcelerum tibi præmia iuſtus
Reddat, & æquata meritum tibi ſarciat urna.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Dij quantum cæci nos pectoris occupat? an' non
Virtutes ſimulare malis fas Iuppiter eſſe
Duxerit? an' ne etiam patientem accommodet aurem
Flagitio, ac iuſtos inclinet in improba ſenſus?
Non iam miror enim tolerent ſi cætera, cum te
Hac ſcelerum Lerna turpem patiantur inultum.
Nec tibi magnoperè culpandos rere Gigantes,
Quos cœlum affectaſſe ferunt, ſolioq́; Tonantem
Exigere, & magnis uoluiſſe potirier auſis.
Non neſcire Deos etenim, non prima negare
Numina: de ſummi certatum eſt culmine regni,
Et cui conſiſtat Maieſtas ſumma Tyranno.
Aſt, nihil eſt etiam ſi quis Salmonea tecum
Conferat: horreſco uoces dirasq́; nefandasq́;
Et meminiſſe dolos impuraq́; iurgia linguæ.
Aut tibi quis mentem genius, quæ cura fatigat
Improba? ut hac cùm ſis natura peſſimus, audes
Officij tamen ac uirtutum nomine tete
Iactare, & ſcelerum deformes pandere rictus?
Cùm tu, quam nigro criſpantem ſceptra profundo
Tiſiphonen laudas, ſolam agnouiſſe parentem
Vt poſſis: ita, nunc quanquàm uomis aurea, totus
Te tamen eſſe ſatum ſtygio probat orbis Auerno.
Non ego diſcipulos tales, non pectora finxi,
Nec te de noſtris agnoſcam fœtibus eſſe.
Immanis te felle parens, ditiſſima fuci
Et fœcunda dolis, naturæ perdita monſtrum
Edidit ac ſæuo te natum ſemine linquit.
Suppoſitus noſtris, quis enim negat, aduena nidis
Hæc in membra uenis, blando quæ fota calore

Nata

Hanc unà uario funeſtam crimine uitam
Attrahere, & noſtra poterant uirtute moueri.
Non mihi naturam, ſcelerum neq; ſemina debes,
Nec tua progenie de molli pectora ducis.
Alterius ſed enim cùm ſis farrago laboris
Temperiemq; trahas: ne me fateare parentem,
Nec te dire ſatum noſtra de gente putabis.
At ſi nutricem, ſi deniq; tute uocandam
Hac ratione putes, fuerim quòd ſedula, matrem
Iam ſolo ſummum tibi tu ſcelerate pudorem
Nomine conflaris, factoq; in tartara mergas.
Cum primum tenui prodires natus ab ouo
Proferresq; caput Soli cœlumq; uideres,
Mirabar lepidos uultus formæq; decorem,
Et cibus aſsiduo uenit tibi plurimus uſu.
Intercepta meis quoties ego pabula natis
Carpere te uidi? quoties cum membra palumbis
Languida ſpectarem: neq; enim mihi cauſa modusúe
Exitij tum notus erat: ſolabar egentem
Hoc me cæca bono, quòd te ſuccreſcere pleno
Iam ſucco nitidum luſusq; ciere uiderem.
Sed quali tandem meditatus pectore luſus
Et quæ grata tuæ cuperes benefacta parenti
Reddere, nunc demum uicina per oppida conſtat
Et propè fatali monſtratum clade fuiſſet.
Subnixus primis etenim cum uiribus eſſes,
Dum nos interea quæſitum pabula noras
Exceſsiſſe domo, pullisq; abijſſe relictis,
Ingenij uirus miſeros depaſtus alumnos,
Et quæ naturæ fuerant ſecreta recludis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Nos periiſſe ratæ laceratos unguibus alti
Accipitris, mœsto uacuum clamore cubile
Impulimus, gemituq́ animum uocesq́ moramur.
Quin tu adeò noſtros etiam tolerare dolores
Aegrius, & queſtus poteras ſpectaſſe uideri:
Cum me compoſita deceptam fronte, maloq́
Hoſpite deluſam reliquas agit error in artes,
Vt te blandidius retinendum stulta putarim.
Nec requieuit enim mihi mens nil mota, priuſquàm
In plenos artus & plena in robora tete
Euaſiſſe uidet tutosq́ urgere uolatus.
Tum quantas in me strages, in uiſcera matris
Inq́ alas, toties quibus incubuiſſe ſolebas,
Molitum tete uel quanta piacula dicam?
Dii tibi pro meritis tandem pro talibus auſis
Et pro flagitiis digniſſima præmia reddant.
Ni meus ipſe domo me pes atq́ ala tuliſſet,
Mœſta palumba ſuo iam præda fuiſſet alumno.
Et tamen officium ſimulas, iactasq́ beatæ
Istud amicitiæ, cui cedant omnia, nomen.
Cumq́ adeò teſtere Deos, cum tute Tonantem
Creber in ore habeas: facto tamen eſſe Tonantem
Tute negas iuſtoq́ ferox illudis Olympo.
Nunc ego ſola queror: nati ceſſere perempti,
Non delata rogis ſoboles, non condita ſaxo eſt,
Nec pro more leui ſub ceſpite tecta moratur.
Hoſpitis at uiolata manu deceſſit: habetq́
Inuiſum diuis fraterno in uentre ſepulcrum.
Nec quererer, de te ſi quid fortaſſe fuiſſem
Sic merita, ut iuste hæc odiſſe impendia poſſes.

Et

Et matrem ſpreuiſſe: cui cura iſta monenti
Semper erat, tete meliorem reddere, ne quid
E noſtris etiam non gratior uſibus eſſes.
Sed quid? quo meme poteram ſperare beatam
Præſidio, certæ mihi condita uincula morti
Repperi, & ingratas cumulari in præmia mentes.
Hac benefacta quidem nebulones lance rependunt.

CV. Stulta, gemens & inepta, dijs confiſa malignis,
Sacra deæ Veneri querulisq; obnoxia curis,
Et multo nimium ploratu diues: in altas
Qua te cunq; ferant uitæ ludibria ſyluas.
An' ne putes etiam lingua quacunq; moueri
Hoc pectus, ſæuis herebo quod militat uncis,
Cœlicaq; haud timidè quamuis ſint numina ſpernit?
Erras infœlix multum, uitæq; per omnes
Laberis articulos. nihil eſt ſapuiſſe iuuenta,
Si tibi deliret ſenium. fortaſſe monebas
Maiores olim noſtros: iam tute monentem
Audi etiam, & Cuculo ſapias ignara Magiſtro.
Stultitia eſt alios cum tu inſtituiſſe ferare,
Ipſa tamen rerum nullo ſis doctior uſu,
Nec tibi quæ fuerint uerè exoptanda ſequare.

CO. Et miſeras etiam Cuculo auſcultare columbas?
Scilicet has rerum ſortes, hæc tempora noſtro
Ante quidem multo prædixit Sextus in orbe,
Cum caneret ſyluas, atq; hæc conſueta uolantum
Commoda non dubijs mutatum luctibus iri
Diceret, ac ſeros cumulari in lucra dolores.
Quin uentura etiam cuculis aliquando magiſtris
Talia ſecla refert, uerſo quibus ordine mundus

Induat excuſſos uirtutum à cardine mores
Incertumq́; colat, rectoq́; inuiſa probarit.
Et nunc tute nouis ingrate laboribus æuum
Sollicitas. uerâne etiam pietate feratur
Improbus, & ueteres ponant fera pectora fraudes?
CV. Haud moueare, tibi quo demum ſacra magiſtro
Vtilibus ueniat fœlixq́; ſcientia dictis.
Seu doceat Pluto, ſeu te magè maximus armis
Iuppiter informet, gratum ſit utrumq́; palato,
Et flexiſſe animum monitis, ea maxima laus eſt.
CO. Cur igitur non tu rectumq́; bonumq́; monentes
Audis, officio ſubmittens pectora noſtro?
Cur nihil in melius mutari hæc ſemina dicam?
CV. Nil nobis certè magnum quod dicere poſſis
Defuit. egregia nos tu pietate fouebas:
Tu dictis animum inſtituis: tu ſidera nobis
Commendas: nihil eſt equidem quod tute uideri
Præteriſſe potes. Sed & hoc nos ſcimus, habentq́;
Pectora noſtra tuas uelut inclyta dogmata uoces:
Cum tu ſuadendo nos ad pulcherrima fingis.
Aſt diuerſa tamen ſequimur. iuuat eſſe malignos,
Officij immemores, totoq́; excedere recto.
Hæc eſt illa etenim tibi dudum incognita nutrix
Semita, qua cunctos ferriq́; trahiq́; uidemus,
Cuius & auſpicijs lætari maxima ducas.
Scilicet ingratos non tantum dicier: aſt ſe
Imprimis præſtare malos, & in omne paratos
Exitium, quocunq́; uocent uel fata ſequentes,
Vel locus inuitet ſalebris, ut lædere poſſint.
Tum certè officio longisq́; fauoribus uſos,
Iam conclamatis in te conſiſtere dextris,

Et

Et tibi damna quidem occulto celerare tumultu.
Hæc ego cum uideam, mea quò deflectere poſſum
Pectora? mens aliud ſuadet: docet arbiter æui
Longè aliud, noſtris qui ſenſibus imperat, uſus:
Quem nunc prætulerim, dum quæ tibi triſtia condam,
Exequar ac celeri noceat mea lingua Columbæ.
Quin alios ſanè inuito qui uulnera mecum
Multiplicent: ne quid Cuculo fortaſſe ferare
Solo etiam ingrato lacerarier. omnibus inſtat
Buteo conſilijs, tibi ne infœlicia, ne quis
Luctus & inuiſo deſit labor obuius igni.
Nec quòd multa ſoles multis largirier, eſſe
Propterea gratos ſtatuas. tibi primus atroces
Struxerit inſidias, primo cui tute iacenti
Suppoſuiſſe manus poterisq; & cuncta uideri
Officia indulſiſſe. malis feciſſe benignè
Eſt nihil. immittit nocituris ſumina flammis,
Indignos quiſquis ſtudeat uirtute mereri.
Ruſticus è toto nonnunquam ſtipite Quercum
Deijcit, ac leuibus molitur funera ramis.
Hæc tamen illa fuit Soboli tutela, cibumq;
Pabulaq; & multo præſtabat germina fructu.
Vipera perruptis matrem necat inuida coſtis:
Et patrem ſimili perimit Phalangius ore.
Optimus Auſonidum, res uera eſt, Scipio tota
Cognitus urbe fuit, magnis cum maximus ille
In patriam meritis feciſſet, ut optimus eſſet.
At tamen & patria hunc poterat prohibere ſepulcro
Extorremq; pati, cuius uirtute quietem
Iam toties partam magnis celebrare triumphis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Deniq; quid memorem mortalia facta? parum'ne eſt
Mortales etiam communi lege teneri?
Hanc igitur cernam multos cum poſcere laudem
Sectariq; malum, & benefacta rependere facto
Improbo, & ingratas ob commoda reddere mentes:
Ingredior conſuetum iter, & te perſequor, omnem
Progeniem exſcindens, quantum mihi ſcilicet illam
Faſq; & iura ſinunt uiolento perdere regno.
Illa uetus dudum perijt mihi gratia, mens ſe
Cogit in obſequium, & ficta ſub imagine ſeruit.
CO. *Heu, quantas etiam patiuntur numina peſtes*
Hoc inter mortale genus proſerpere? ſed me
Et tutela Deûm, & poterit mens recta tueri.
Id certè eueniet, quòd cum tu plurima damno
Afficies, ſimili rurſus te clade uolucres
Præcipitent aliquando, luaſq; hanc corpore noxam,
Et quæcunq; ſies meritus, ludibria plores.
Quodq; in me ſæuo poteras committere raptu,
Suſtineas proprijs lacerate nepotibus. omnem
Dij metam ſceleri ſtatuunt, pœnamq; bilance
Ex æqua, ne quis fruſtra colat æthera, reddunt.

COLLOQVIVM II.

Interdum etiam prodeſſe minimos.

CEDRVS. MYRICA.

C. *MAxima conſector: minimis aduerſor: eundum eſt*
Qua me celſa uelint rerum faſtigia duci.

Nouimus

M. Nouimus ingenij cupidos ſublimis honores
Sidereasq́; comas, & odori munera ligni.
Quis'ue ita me ſtupida ſubuerſam mente putarit,
Vt contemnendas ſtatuam mihi paruula Cedros:
Inq́; humiles cupiam detrudi maxima ualles?
Non ea pectoribus latet indignatio noſtris,
Nec ſuperum aduerſus meditamur bella Tonantem,
Id ſaltem audaci contendit uoce Myrica,
Vt cum te meritis ornatam laudibus optet
Aërijsq́; uirere locis, interq́; beatas
Syluarum denſo frondere cacumine nymphas:
Te capias tamen ipſa, tibiq́; hæc pectora circum
Fortia uincla loces fatoq́; obſiſtere diſcas.
Qui nimijs ſemper turgeſcit honoribus, & ſe
Legibus exemptum communibus aſpicit: atras
Hic uitæ flammas metuat, nihiliq́; putarit
Fidendum lætis, quanquàm ſint maxima, regnis.
C. Viribus haud noſtris opus eſt monitore Myrica.
Nec mihi fas animo ſtolidas admittere curas,
Aërios habito montes, ea regna miniſtro,
Hæc mihi prima dijs ſedes data: ſubruat inde
Qui potis, & triſti Cedros fert creſcere uultu.
M. Inuidiæ quæ ſumma patent. non uallibus imis
Tempeſtas furit: extremis latuiſſe, ſalutem
Confert, ac humiles non laſſant fulmina montes.
Aeolus incubuit celſis, & flamina circum
Alta fremunt. quæ ſublimi ſtant uertice quercus
Impulſus metuant aduerſaq́; ſidera ſperent.
C. Non ego fabellas, non guttura uana morabor.
Quod paruum eſt, metuat, caſusq́; paueſcat ad omnes

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Et dubio ſemper fatorum pondere nutet.
Fortia contemnunt ſuperos, ſtant uiribus altè
Nixa ſuis, nullaq; timent ſe clade moueri.
M. Et tamen excelſæ confracta cacumina fagi
In præceps aliquando dari ſpectaueris. iſtas
Quis tandem genius, quæ deniq; fata reuellunt?
C. Quæ ſunt firma, deos contemnere fortiter audent.
M. Quæ ſunt firma, dijs ſunt firma tuentibus. aſt ſi
Aduerſo pugnant, iam non ſunt firma, Tonante.
Cur uerò, cum ſis pulcerrima Cedre, minores
Deſpicis, ac nullo dignaris honore myricas?
Si te fœlicem fortuna hæc finxit, haberes
Fortuna, quo te communem reddere poſſes.
Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſsima uincit
Mœnia: uirtuti poſita eſt ea meta, nec ultra
Tenditur. haud rarò tibi commoda maxima paruæ
Res etiam attulerint, & amica ſorte bearint.
C. Haud ego, quodcunq; eſt quo uos præſtare putetis,
Vllius indigeo. mea me fortuna per omnes
Extulit alta gradus: regnumq; uiroſq; decuſq;
Et ſi quæ tribui poterant mihi clara, dicauit.
Me Solymis quondam cum res fuit integra regnis
Succiſam Libano ſacriq; è uertice montis,
Artifices operum nitidis expoſcere tectis.
Me domus & Regum quæcunq; palatia longis
Aduectam ratibus cupiunt: me docta magiſtri
Dextera præcipuos æquatam fingit in uſus.
Atq; inter ſummas diuorum collocat arces.
Quis claſſem Pharij, aut Syrorum carbaſa regis,
Quis Poliorchetis neſciuerit unde ciremen?

Diruta

Diruta quem miſeri latuiſſent templa Sagunti
Aut Epheſo magnæ quæ ſunt exuſta Dianæ?
Has operas, atq; hæc ego ſacra innixa columnis
Gentibus exhibui, cum me uirtute bonoq;
Aeterno ſcirent tineis obſiſtere, & ullam
Haud cariem lætas ætati inducere Cedros.
Quid mihi cum miſeris? fortunam quiſq; ſequatur
Quam nactus, tenui, uel humo ſordeſcat & alga,
Vel læta ſuperas inter coma frondeat auras.
M. *Sed tamen haud quiſquam cunctos ita ſuſtulit omnis*
Momenti numeros, propria ut uirtute beatus
Dicier, aut ſolo fœlix ſe poſſit haberi.
Namq; alios aliud, ſi rectà aſpexeris, urget.
Haud igitur quæ parua uelim te ſpernere: turpis
Stulticiæ eſt cunctas præ ſe contemnere ſtirpes,
Nullius & ſeſe uirtutis egere putare.
Nónne feros uideas ſuperari ſæpius urſos,
Grandibus haud ſemper laceratos colla moloſſis?
Concurrit nonnunquàm etiam canis æmula magni
Roboris, exiguo quantumuis corpore ſeſe
Incitet, ac ualidis non tendat tergora lumbis.
Aſt alia quoniam uirtute excellit, amandam
Cætera turba putat, magniſq; accommodat auſis.
Deniq; ſi humanum quiſquam genus aſpicit, iſtic
Ardua ſectantem rerum te exempla monebunt:
Quid ſpretis interdum etiam uirtutibus inſit
Præſidij: aut quanto redeant tibi mutua lucro
Officia, hîc etiam: cum quis tibi forſan ob uſus
Haud certè magnos poterit contemptus haberi,
Atq; tuos inter ſit pars extrema Clientes.

An non quò dominis auerti funera poſſent,
Interdum quidam ſeſe obiecere pericis,
Et triſtem excipiunt aliena ob commoda mortem?
Quin illam aſpicias, quæ toti eſt cognita mundo
Fabula, & exiguis decernit rebus honorem.
Mus Ceruo captus, cum iam uictoris ad iras
Sternendus foret, hac elatum uoce ferumq́;
Aggreditur. Non me uiolaueris inclyte paruum
Imbellemq́;: dabis paulùm hac me luce potiri
Et fato ſupereſſe meo: pietatis & huius
Officij memorem ſeruarint ſidera murem.
Ille indignanti ſimilis calcare iacentem
Contempſit. Viuas, inquit, miſerande: ſequatur
Gloria uictorem, ſi te tibi donet. honeſtum eſt
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.
Vix aliquot pauci gyrabant tempora Soles,
Cum ſimul extenſis uenator caſsibus acrem
Inuoluit Ceruum, retiq́; apprendit: & inter
Cornua celſa plagas nodis coeuntibus hærent.
Vt uerò triſti uinctus ſtat fune gemiſcens
Explicat immani quo mox cadat ilia ferro
Et dolet, ut cui nunc uitam mors ardua tollat.
Hîc ergo allapſus tali mus ore pauentem
Pulſat, & è dubijs horrorem uocibus auget.
Sic'ne etiam grandes aſtringunt retia Ceruos.
Et fortuna premit? agnoſcit celſa loquentem
Beſtia. &, ô noſtris ſi quæ ſolatia rebus
Nunc etiam attuleris? miſero mihi funera iam nunc
Ante fores, interq́; manus uerſantur. at ille
Arrodens caſſes cum protinus explicat, æuo

Conſulit

Conſulit alterius uitæq́; pericula demit:
Et ſeruatorem uerſa uice ſeruat. Olympo
Rem natam fateare, æquus ſi præmia reddas
Quæ poterat uirtus iampridem aliena mereri.
Parua iuuant, ubi magna labant. non numina uires
Viribus opponunt, neq; uires uiribus arcent.
Conſilio & uirtute explent, quæ maxima mundo
Perficiunt: ſæpe alta premunt, ut iuſta coronent.
Aut quis non etiam ueterano prima iuuentæ
Miſceat arma, graui ſi forſitan ardua bello
Regna petat, latisq́; manus ſibi conſerat aruis.
An quia largifluos expectat ruſticus imbres,
Iccirco tenerum non poſcat in hordea rorem?
Alnus amet riuos: Melanurum perca ſequatur:
Me uirides inter ludantq́; tegantq́; lacertæ,
Et tenui fluuius nonnunquam excreſcat ab amne.
Deniq; quis molli comprendere carmine poſſit,
Præſidij quantum paruis ſibi rebus & uſus
Corpora magna legunt. nihil eſt iactare potentis
Fortunæ cumulos. minimum eſt quo maxima damno
Intereunt. morſu ſpacioſum uipera Taurum
Enecat. impulſas uentorum flatibus acri
Siſtit ab ore rates pugnax Echeneïs, eoq́;
Quo prendit morſu tenſiſsima uela moratur.
Quid rerum domini? quid ſceptro elatus, & orbis
Imperio diues, ſi deſtituatur honore
Obſequijq́; bono, tandem perfecerit? hæc eſt
Maieſtas: ſi ſint, qui quæ ſunt iuſſa ſequantur
Et ueniant promptis mandata ad ſeria dextris.
Pondera nos humiles toleramus dura Myricæ

Et uarijs tegimus paſcentia corpora luſtris.
Nos inter raptorq́ lupus, uulpesq́ doloſa
Morſibus exercet ſtabilitq́ Tyrannide regnum.
Deniq́ non aliquis quod paruum eſt, ritè repellat,
Nec contemnendum, minus eſt quod robore, ducat.
Teq́ adeo, ſi quid ſapias, patiare moneri
Ingentesq́ animi faſtus depone: minores
Eſſe ſinas tecum, & communibus utier auris.
Imò age tu quantum excellas uirtute bonoq́
Naturæ: tantum miſeris conſcendere diſcas
Atq́ aliqua tecum iubeas ſub parte morari.
Imperio quiſquis potitur faſcesq́ gubernat,
Et gerit excelſo fluidas in uertice criſtas,
Si non & miſeris animo feciſſe benignè eſt
Admittatq́ ſuos, foueatq́ feratq́ minores,
Nec triſtes patrio ſoletur more colonos:
Is certè imperio indignum tituloq́ ſuperbo,
Et ſeſe obſcuri ſobolem probat eſſe parentis.
Non etenim uirtus maiorum uera, iacentes
Aſpernata fuit. ſolari, paſcere, dextra
Eruere, ac hilari depellere triſtia fronte,
Iuſticiaq́ ſuis inducere rebus honorem:
Hæc uia ſublimes olim protrita Monarchas
Intulit imperijs primaq́ ab origine Reges
Eſſe dedit, ſtudijsq́ bonos clareſcere iuſſit.
Hæc eadem ne quid nutarint tradita ſeruat
Vnà etiam, ac patrijs confirmat culmina regnis.
C. Forſitan & minimis interdum maxima rebus
Indigeant: has nec contra pugnauero uoces,
Nec mihi iam libeat te carpere morſibus. omni

Qui

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Qui re ſufficiant nullos fateare neceſſe eſt.
Non ego te deinceps contempſero: creſce myrica,
Luſtra ſecunda feris & pande uolucribus umbras.
Haud ego conſilijs, neq; ligni fructibus ulli
Defuero: quacunq; ferant mea munera uenti,
Nil, niſi quod cunctis poterit prodeſſe, ſequemur.
Tu ſanè exemplis, tu rerum mole retundis
Si quæ pectoribus creſcit mihi cura ſiniſtris.
Multi equidem ſuadent: ſed non eſt omnibus una
Suadendi ratio. Deus eſt qui ſingula cunctis
Partitur. cedas, ſi quid ſapis. æthera prendas,
Si tamen & terram ſtudeas uirtute mereri.
Non ego natura cunctos errare, malóue
Crediderim ex animo quæ ſunt minus æqua profari.
Exulat ingenium uitijs per ſæpe: monendo
Quod reuoces, uſuq; adigas aſſueſcere recto.
Suaſores ſed enim perdant malè numina, ſi qui
Vel funeſta dolo uendunt, uel ſacra prophanant.

COLLOQVIVM III.

Neſcire quemque quo malos tractet modo.

FICVS. OLEA.

F. *INgratas Rhamni uoces & dira procacis*
Iurgia naturæ: quantumq; in ſingula latæ
Robora deformi bacchatur acumine ſyluæ,
Quis neſcit? fœda eſt ſcelerum petulantia, cum non
Quod rectum eſt, etiam poterit placuiſſe uideri.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Quò ſua mens eſt cuiq; malo truculentior, & iam
Venturas metuit commiſſa in crimina pœnas:
Hoc minus officio capitur: minus æmula magnæ
Virtutis, nigros obfirmat in omnia uultus,
Quæ ſcelus & facti ſuprema licentia gignit.
Ardua uirtuti poſita eſt uia: proxima cœlo
Tendit, & haud faciles molitur in æthera greſſus.
Stat uarijs rupes anfractibus ædita, cuius
In cliuum multo ſudore euaſeris: atræ
Tot peſtes huc te, tot ſcandere monſtra uetarint.
Hanc uirtus arcem & ſuperi faſtigia montis
Incolit: huc paucos eniti poſſe uideres,
Atq; apicis tanti decoratum prendere culmen.
Aſt uitium facili circum nos calle moratur:
Serpit humi proſtatq; ſolo: ſeſe omnibus ultrò
Articulis offert aditumq; in pectora tentat.
Non Fico plures cumularint uiſcera groſſos,
Nec plures calido Vitis dat Sole corymbos:
Quàm uitijs ſoboles obnoxia grandibus ex ſe
Germina protrudit, lateq; per oppida mittit.
Mille uiæ ſunt, mille artes, quibus iſta propago
Inſinuat ſeſe miſeris mortalibus: ut iam
Hanc multos uaſtaſſe uides, paſsimq; per omnes
Siue errare uicos, ſeu ſeſe infundere regnis.
Ne mirere igitur Rhamno præcordia circum
Ingentem ſcelerum molem, ſegetemq; nefandam
Creſcere. deformi primùm radice ſub auras
Pullulat: hinc uitijs enormibus intulit æuum,
Aſſueuitq; malo: ſocio mox fœdere ſpinas
Allicit, ac animum falſo tumet auctus honore.

F. *Neſcio quò me fata trahunt, quo ſidere tantum*
Perdimus obſequij. nihil eſt bonitate fideúe
Officioúe malis operas impendere. Fago
Se uicina negat ſubtendere brachia poſſe:
Et Quercum fugit & primas horreſcit ad umbras.

O. *Quid ſi ſub patulos Phœbei luminis ignes*
Interea extuleris? campóne immiſſus aperto
Proſtet, & æthereos Solis tueatur in orbes?

F. *Res ea iam pridem mihi cum tentata placeret,*
Haud equidem Rhamno perſuaſit. at ignea cœli
Regna aſpernatur, ſuccoq́; fatiſcere campos
Et nimio queritur plantas ardore necari.

O. *In tenebras igitur uel opacæ deuia ſyluæ*
Abijcias licet. Huc equidem neq́; Cinthia currus,
Nec Phœbus radios & apertum miſerit ignem.
Aſt habitat Serpens ſquammis immanior: ater
Nycticorax, & Onocrotalus Vulturq́; Vlulæq́;
Atq́; Ibex ſoloq́; Stryges res fœda relatu
Incolit, ac ſæuas interſtant copia taxos.
His uerò iungens feralia carmina Bubo
Perſonat, ac triſti reliquas mouet ore uolucres.
Sanè equidem hæc Rhamno fuerint loca grata: quieſcet,
Sic demum, ac ſtudio laudem potes hocce mereri.

F. *Non tamen & noſtro ſic ceſſerit iſte labori*
Officiumúe probet. ſe excluſum luce queretur
Frigoribusq́; premi. circum proſpectat in omnes
Improbus articulos, ubi nos fortaſſe proteruis
Obijciat dictis hominum, culpetq́; labores
Exagitetq́; graui quæ ſunt bene geſta cauillo.

O. *Quid ſi illum fluuios iuxta, riuosq́; ſonoros,*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Plantes, ac leni comitem dabis eſſe ſuſurro?
Id fortaſſe loci captum recreauerit. an non
Res ea magnanimis ſola eſt accepta Monarchis,
Quos iuuat ad faciles defigere culmina lymphas?
Quid natura dedit labenti dulcius amne,
Quidúe undis melius? nihil hîc culpauerit. omnis
Luxuriat bonitate locus: ſeu quærat aprico
Fundere ſe campo, ſeu fluminis acer ad undas
Ludentes cupiat ſpectare in gurgite piſces.
Quin ripis plaudunt uolucres, ſtrepitúq; cicadæ
Et clamore ſonant. folijs plerumq; columis
Hæc agit ac dulci recreat ſe beſtia cantu.
Hîc gratos Philomela ſonos, hîc Pſytacus edit,
Hîc uario exercent ſe plurima pectora plauſu
Alluduntq; Ioui fluuiosq; in carmina mittunt.
Deniq; candidulo quid Cygno pulcrius? aſt hîc
Incolit, ac faciles Zephyris ſpirantibus alas
Pandit & æternum modulatur arundine carmen.
Paſcitur & ripas iuxta pecus. obuia taurus
Sternit, & æthereos mugitibus implicat orbes.
Temperies quin ſumma loco eſt: tum mollior aura
Perflat, & humanis quod ſeruiat uſibus auget.
F. Vera canis. Sed enim Rhamno quis ſuaſerit, ut ſe
Commodet, ac ueris ſubmittat pectora dictis?
Non ea mens prauos ita lubrica flexerit, ut ſe
Quò certè rerum pulcherrima ſemita ducit,
Aut uertiſſe uelint, aut recto iungere poſsint.
Nec quæ nigra colunt, nec quæ ſunt alba probarint.
Hæc mihi iam dudum florentibus obuia ripis
Præcipuo loca ſunt meritoq; inſcripta decori.

Sed

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Sed Rhamno pariter non arriſere:repugnat
Iſta uoluntati ſemper petulantia noſtræ.
Humida uel nimium queritur ſibi tanta uideri
Flumina:uel niueos tandem auerſatus Olores
Horret aquas, Cygnosq; premit, quantumq; maligni
Ingenij natura ſinit,pulcherrima damnat.
O. In montes igitur celſiq; cacumina mundi
Profer:habent montes exemptam cladibus auram:
Atq; humiles circum ſpectant ſe tendere ualles.
Surgentem poterit Phœbumq; Iouemq; tueri,
Sidereosq; deos alios:ubi maxima lato
Numina ſe ponto uitreisq; è fluctibus urgent.
Contrà autem occubitu tacitas Plutonis in umbras
Cum ſeſe exſoluunt,iterum ſpectare poteſtas
Montibus,& ſero plauſiſſe licebit olympo.
Iam pridem;ueris quo quis uirtutibus eſſet
Maior,& ingenua ſibi duceret omnia mente,
Hoc mage ſublimis uiſum eſt faſtigia terræ
Sectari,& primis excelſa capeſcere uotis.
Montibus inſiſtunt uiolenti membra Leones,
Nobiliumq; greges,atq; agmina læta ferarum.
Montibus incumbunt Aquilæ,nidosq; per altas
Et ſua tecta comas congeſtaq; uimina ponunt.
Sordidus ingenio fuerit,quem uallis & imi
Oblectat caſa trita ſoli. petere alta,decorum eſt,
Et ſua ſidereis ceu condere luſtra columnis.
Hac equidem Rhamnus iam conditione bonoq;
Vtetur:pulcrum eſt frondeſcere montibus altis,
Et uirides inter diffundere brachia Quercus.
F. Id uerò nimium arguta ratione profaris

O' ſoror. At Rhamno nihil eſt ſuadere, niuoſos
Vel certè accuſat, uel damnat frigore montes.
Quin ſiccos etiam culpat, queriturq́ furenti
Expoſitos uento, ſuperas euadere in auras
Altius, & nimio ſubſidere pondere ualles.
O, *Dij meliora bonis. quid enim, ſi cætera deſint,*
Hoc quoq́ defuerit, ſibi non conſtare? parum' ne eſt,
Cum tu mentem erres, monitis nil cedere: nec te
Arrectas iuſtis præbere hortatibus aures?
Vna autem certa eſt ratio: manet una Nepoti
Certa tuo, nuſquamq́ fide dubitante uacillat:
Haud te ſcire, malos quo demum ex ordine tractes
Quaúe repugnantes lenire cupidine poſsis.
Durius haud quicquam miſero deus obijcit orbi,
Arbitrio quàm quemq́ frui, natura malignum
Si creat, ac largo ſuffarciat ora ueneno:
Aut huic quali etiam nunc dicto pectora turgent?
Quid conſectatur? qua demum ſede quieſcet?
Quem neq́ ſicca iuuant, madidis neq́ flumina ripis:
Non humiles campi, non celſo è uertice montes:
Non umbris condenſa, nec ædita Solibus arua.
Omnia faſtidit, cum ſit malus, aſper & audax
Contemptorq́ Deûm factisq́ inimicus honeſtis.
Et mirum eſt, non poſſe malis quæ recta placere:
Cum placeant tamen illa bonis. aut deniq́ quid iam
Tute putes? an' non Quercumq́ Vlmumq́ patentem
Et Fagos etiam, & ſpectantem ſidera Laurum
Caſtaneasq́ Pyrosq́ graues Malosq́ feraces
Et quaſcunq́ colunt nemorum communia frondes.
Intulerisq́ locis, ſtudioq́ inflexeris, ut te

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Certantèm cura non triſti mente ſequantur?
At ſoli placeat Rhamno nihil,omnibus unus
Cum ſit deterior nulloſq́ colatur in uſus?
Sed ſua uirtuti ratio eſt & gratia.Dÿ dent
Hæc florere,quibus quò ſint ampliſsima,cœlo
Eſt datum & æthereos decernit Phœbus honores.
F. Aſt unam tete miratur,& omnibus unam
Prædicat articulis,tecumq́ morarier optat.
Vicinas Oleæ cuperet ſibi ſpargier umbras,
Subq́ tuo faciles adoleſcere corpore ſpinas.
O. Et Rhamnos oleæ coniungier? arbiter æui
Iuppiter,& qui nos,hæc pinguia munera,curas
Phœbe pater,quæq́ hos etiam mihi Pallas honores
Firmas & noſtris accedis blandula uotis:
Da conferre manum Rhamnos mihi:iunge ſuperbos
Indomitoſq́ meæ,quantum patet ambitus,umbræ.
Iam tibi ſumma quidem Fico decedere cura
Poſsit. in has equidem Rhamnos immiſeris umbras
Et uicina meis ſit tanta proteruia regnis.
Id Soror, id, fruſtra ne queſtam te eſſe querare,
Efficiam:ingrato ne quæ tibi poſtea Rhamno
Iurgia ſint metuenda. comis aduoluito noſtris
Abdeq́ ſub folÿs ſobolem:quæ tota Tonanti
Diſplicet,ac Stygio tantum eſt accepta Tyranno.
Non tibi Phœbus equos properantibus ante quadrigis
Ter totos circum manifeſti ſideris orbes
Duxerit,ac gelidas radÿs perſtrinxerit arctos:
Quàm Rhamno fatum celerari morte uidebis,
Et propè languentes cumulari in funera ſpinas.
Quis cœlo mentem inſpirat? quo numine credas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Id fieri, prauis ſemper contraria rebus
Eſſe alia, & tacitis pugnare ea ſemina formis?
Nil melius uirtute: ſed huic quoq; ſidera uires
Et pia fata dabunt. decernunt præmia diui:
Exſcinduntq; malos merguntq; inimica tenebris.
Semita dijs nota eſt, ſupero qua iudice cœlo
Aut laxare uelint, aut condere triſtia rectis.

COLLOQVIVM IIII.

Manere amicos, dum fortuna manſerit.

CORILVS. MALVS.

C. *HAud indulgendum ſemper tibi Male putabis*
Queſtubus. Eſt molli res hæc aduerſa medullæ,
Infeſtatq; oculos mortemq; doloribus addit.
Cum tibi non etiam ſuccedant omnia uoto,
Id ſaltem contenta uelis, quod ferre ſub auras
Tempora poſſe uides fatoq; immittere ſpectas.
Pectoris haud ſani fuerit, meliora futuris
Nunc equidem ſperare: uetus quàm protulit ætas
Maiorum, triſti cumulat dum plurima lance.
Immò age deterius mundo quicunq; futurum
Dixerit, ac ſero poterit metuiſſe Nepoti:
Hunc equidem ſapere, & mores callere neceſſe eſt.
In peius ruere, & retrò ſublapſa referri
Omnia pulcra uides: ſubuerſi pectoris omnes
Deprendis numeros. Nihil eſt feciſſe benignè,
Omnia ſunt ingrata odijsq; expoſta ſiniſtris.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Excitat inuidiam uirtus. ſed & omnibus una
Et premere, & rectis cura eſt nocuiſſe uoluptas.
Nil datur officijs: morbo langueſcit inani
Obſequium, & triſti diſparſa eſt gratia uento.
Quod iuuat, interea dum iuuerit, omnibus iſtud
Acceptum ſtudijs plauſuq́ extollier audis.
At ſimul officio cum res exceſſit, habesq́
Poſtea nil, quo ſe petulans fortaſſis egere
Duxerit: actutum ueteris tibi gratia facti
Diſperijt. meritis nihil eſt confidere: nec te
Laudibus intulerit, quòd honeſto cognitus uſu
Profueris. cui te officio deuinxeris, iſte
Primus ab officio, manifeſta in uincla repellet,
Si potis, aut diros in uiſcera merſerit enſes.
Dum tibi res & fata manent non fracta, beatam
Turba colit. Quòd ſi uerſo Dij numine ramos
Excutiant ſpolientq́ comas: iam protinus altos
De te deq́ tuis traxere ſilentia ſomnos.
Deme uſum, nihil officijs deferre uidebis
Inuiſum diuis hominum genus. ardua lucro
Commoda menſurat: ſolo hoc ſtant fœdera nexu:
Hoc & amicitiæ coeunt. fortuna recedat,
Inuoluatq́ caput tenebris paulumq́ laboret:
Mox ſanctum pacti nomen, mox ſacra uidebis
Fœdera, ceu ruptis prouolui in funera uenis.
Huc redijt res omnis, ut hæc ſibi quiſq́ ſequenda
Duxerit, utilibus cumulant quæ pectora factis:
Cætera contemnat, quamuis laudentur honeſta.
Neſcia uirtutis lata eſt uia. ſerpit in omnes
Improbitas, aliquaq́ iuuat nocuiſſe malignos.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Aut tibi quid noſtræ querar infortunia uitæ:
Quam modò neglectam populiſq; & ciuibus eſſe
Deſpectamq; uides? nihil hîc mihi plurima proſunt
Munera, quæ diti pendebant aurea ramo,
Quæq; etiam leuibus mihi ſunt ſublecta caniſtris
Et pretio fuerant toties inſcripta ſecundo.
Cum pleno ſtabam fœcunda & turgida fructu
Maturoq; etiam rutulabant poma nitore:
Tum pueri circum & iuuenes teneræq; puellæ
Saltibus inſtabant facileſq; agitare choreas,
Et uario mixtim celebrare tripudia luſu.
Quin uerò interdum mihi ſuſpendere corollas,
Interdum flores & ſerta uirentia ſpargunt.
Tympana nonnunquàm ſubtus crepitare: leuemq;
Tendebant cytharam reſonantibus orgia plectris.
Feſta dies aderat niueis inſcripta Calendis
Ardua quo magni Paſtoris uincula latè
Turba colit, plenaſq; urget iam meſſis ariſtas:
Ad me conferto cum protinus agmine pubes
Ciuica ſolenni pro more exculta ruebat,
Et faciles agitare choros luſuſq; ciere.
Hîc hilares equidem tanta in certamina uultus,
Et iactus dulces, & baſia grata uideres.
Deſuper incumbens folijs ego prona tenellis
Intexi pueros, umbramq; obiecimus aſtro
Solis, & ingratum prohibebam denſa calorem.
Tum uerò ramos interq; & culmina, dulces
Pendebant fructus maturaq; poma rubebant:
Qualia ſe Heſperios oſtendunt grata per hortos,
Herculeis etiam quæ digna laboribus eſſent.

Quas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Quas non hîc uoces, quæ non prolata uideres
Signa, quibus toto mihi ceu plauſere theatro?
Inducunt numeris choreas, circumq́; uagantur
Nymphæ, ac harmonicis implent concentibus auras.
Me laudare deæ, celebrantq́; feruntq́; puellæ
Cantibus, ac noſtra ſe credere fronde beari.
Hîc igitur pleni magna cum tegminis umbra
Denſior, ac folijs decorata uirentibus eſſem:
Tum certè laudabar, & hîc mea dona ſecuti
Mortales, cœlo me tollere uocibus. at nunc
Poſtquàm ſæua hyemis tempeſtas impulit omnem
Diſiecitq́; comam foliumq́; è fronde reuulſit:
Deſtituor neglecta choris. me nulla deinceps
Aut plauſu, aut cytharis, aut munere uirgo frequentat.
Me miſeram naſci quòd non mihi contigit illic,
Semper ubi aut uiridi frondeſcit ab arbore malus,
Aut meritis reddunt gratæ ſua uota puellæ.
C. *Deſine uelle queri. ſcis quò mortalia tendunt*
Pectora. iam fallax ingrato militat orbi
Mens etiam, & nulla patitur ſe laude moueri
Vt benefacta colat, ſimiliúe è lance rependat.
Vſus amicitias & pacta ſuperflua iungit:
Vſus alit leges, ſuccreſcunt uſibus artes,
Et rerum formas liquet utilitate probari.
Quin ſi commoditas commendat fœdera, prompto
Mox è complexu quamuis diuerſa coirint.
Cladibus at ſi te ſubuerſum fata relinquant
Detrudantq́; loco paulumúe in triſtia mergant:
Iam ſimul exceſſit animis fauor. omnibus unus
Vix ſupereſt, qui te fidus miſeretur egentem:

m *Aut*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Aut tua mutato celerarit commoda damno.
Communem tantùm ſortem tibi finge: quod orno
Quodq́ue pyris coriloq́ue mihi, quod fortibus ulmis
Quodq́ue racemiferæ ſpectas contingere uiti:
Id tibi promittas etiam. Res ſtulta ſecundos
Eſt iactare Notos: triſtes ubi fixa ſuburget
Tempeſtas fluctus, totaq́ue è fronte repugnat,
Et iacit aduerſos producta in cornua uentos.

M. *Lubrica res igitur miſeris fortuna putanda eſt,*
Cui ſi innitatur noſtræ coniunctio uitæ
Hacq́ue baſi humanæ conſiſtant fœdera genti:
Haud dubium, infirmo quin ſe pede pacta fidesq́ue
Fulciat, ac dubio prendant ſe pectora nodo.

C. *Verè ea coniectas. ſi te tua commoda linquunt,*
Soluit amicitias uulgus, ueteresq́ue ſodales
Contemnit, ſtudijsq́ue nouas ſe flectit in artes.
Fœliciq́ue uacat: licet improbus iſte malusq́ue
Deteriora colat, nec quæ ſunt iuſta ſequatur.
Non ita ſeſe hominum aduerſum genus illa Tonantis
Aeterni ſoboles, magno cum uenit Olympo,
Exhibuit. fuit hoc etiam fœlixq́ue ſacrumq́ue
Et fuit æternis clarum uirtutibus. aſt his
Excidit immani ſubuerſum fraude, ruitq́ue
In præceps, cœloq́ue procul deceſsit in umbras
Tartareas: ubi nox feralibus aucta tenebris
Obruit atroci ueterem caligine lucem.
At deformatum ſoboles æterna ſequendo
Aſſeruit, reparatq́ue genus, uincitq́ue potentem
Fortior ac ſuperos iterum dat ſcandere in orbes.
Non ſanè aſpernatur inops miſerumq́ue, quòd eſſet

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Iam miſerum. priſcæ meminit pulcherrima formæ
Semina. in hæc igitur cum mitis amansq́; tuetur,
Prima colit, lapſosq́; fouet, fractisq́; medetur
Et latè errantes ad ouilia tuta reducit.
Quid Vitem, diuûm gratiſsima munera dicam?
Quæ quali affectu uicinam diligat Vlmum,
Hoc liquet: arenti quòd ſeſe admiſceat, ut quas
Perdidit iſta comas, hæc demum obtendat: eoq́;
Nunc etiam officio ueluti florere feratur
Vlmus, & è Viti reparatum ſeruet honorem.
Non illam refugit: quòd nunc annoſa labaſcat
Forſitan, atq́; minor tactæ ſit gratia frondi.
Sed ſequitur, quantumq́; colit, tantum ornat: & ipſum
Hoc agit, ut feſſo iam ſit ſua cura parenti.
Non agnos Aries ſed oues plerunq́; uetuſtas
Effœtasq́; colit. meminit placuiſſe iuuenta,
Quas ſenio imbelles nec lege, nec arte relinquat.
M. *Fœdius ingrato nihil eſt, Dij triſtia mundo*
Auertant, tantasq́; lues in tartara uoluant.
C. *Quod Diuos etiam tolerare, ac ferre Tonantem*
Res docet, ingratas multorum ut numina uoces
Experiantur: id æqua etiam tibi mente ferendum
Duxeris, ac placido ſuperandum more putabis.
Non quoties peccant homines ſua protinus arma
Iuppiter exſoluit, facibusq́; ex æthere pugnat.
Conniuet nonnunquàm etiam, toleratq́; procellas,
Irarumq́; modos in commoda tempora differt.
Haud aliter tua damna feras: concede maligno
Pauliſper genio, & meliora optando ſequare.
Tempus erit, cum tu niuibusq́; ac frigore pulſo

Rurſus in æſtatis uenias bona, ſcilicet omnem
Adductura comam foliiſq; auctura decorem.
Tum tibi priſca iterum facieſq; & gloria ſuccos
Reſtituet, totaq; nouos dabit arbore flores,
Et ſua frondenti ſuſpendet munera ramo.
Tum ſolitæ repetent iterum ſua uota puellæ
Et uirides iaciant circum tua regna corollas.
Interea ſepes trabibus ſudibuſq; præuſtis
Ipſa tibi ſtatuam, circumq; hæc culmina, quantum
Ambitus excurrit deſerto funditus horto,
Inducam muros & agens retinacula pandam.
Ne tibi uel morſu graciles uirgulta capellæ,
Vel lacerent auidi creſcentia ſemina porci.
M. *Interdum pluuias, interdum cœlica uentos*
Numina diſpenſant. quem nec quæ triſtia frangunt,
Dementant nec læta, æquo ſed tramite uitam
Librat, & in nullo deſpondet uulnere mentem,
Ille equidem fœlix, & prima eſt ſorte beatus.
Pondere ſub magno magna eſt plerunq; ruina.
Qui ſapit, haud cæcis fortunæ inſultibus errat.
Ingratos hyemis fluctus Ver mite reſoluit,
Et fugat excitos fœlicior aura tumultus.
Qua te cunq; trahunt ſuperi, parere neceſſe eſt.

COLLO.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

COLLOQVIVM V.

Veram nobilitatem uirtute iudicari.

SAXVM. PVMEX.

S. *GLoria uirtutis prima eſt: & ſumma uoluptas*
Scire bonum: quodq́ ore probes ſtudijsq́ ſequare,
Re tandem uera factisq́ oſtendere poſſe.
P. *Ruſtica ſimplicitas ſaxo tibi grata fatigat*
Pectus, & informi cumulat noua iurgia rictu.
Deſipis, & grata eſt contentio. ſi libet, audi.
Vtilitate quidem res omnis, & omnis ab uſu
Penſanda eſt. reliquis abſiſte mouerier: ut quæ
Multorum ſtolidæ ceu rectum extollere uoces
Mirariq́ ſolent. ea turba eſt improba: ſtultis
Iudicijs ſummos plerunq́ minoribus æquat,
Et rerum fines decretaq́ fœdera tollit.
Hæc uulgi ratio eſt qui iuſtum ignorat: at illud
Ore tamen multo multoq́ uolumine uerſat
Demens: qui rectum languenti penè cerebro
Concipit, ac formis errantibus induit actus.
Ignauum certè Virtus eſt nomen, & altis
Vrbibus excedit, tenueſq́ exſpirat in umbras.
Humanum ueluti cum uiſa obſcura cerebrum
Inficiunt, luduntq́ animis, & imagine falſa
Perſtringunt oculos, & ſpe cumulantur inani.
Dextra mihi deus eſt: & uirtus, tendere quo nos
Ardor agit, cupidæq́ ferunt in commoda mentes.

Non uulgi Deus, aut me nomina ficta mouebunt.
Commoditas ſed enim quò me mea ducit & uſus
Huc ſequor, hîc uitæ finisq; & terminus eſto.
Interea hoc ſtultum uirtutis nomen amate
Vos alij: totosq; dies inſumite pulcro
Iucundoq; Deo: plauſum date, fingite luſus,
Orgiaq; inſano contendite myſtica Baccho.

S. At tu qua demum Pumex ratione tumeſcens
Contemnenda quidem ſtatuas tibi ſaxa? quid iſtuc
Te impulit, ut tanto nos auerſere furore?
Humanos equidem mores, uitamq; modeſtam
Quæq; doli nihil aut ſcelerato in pectore fuci
Occulit, æthereo gratam tute eſſe parenti
Acceptamq; ſcias. nec uirtus aurea lucro
Multipliciue caret diuina in præmia laude.

P. Coccicis eſt eadem plerunq; iterando ſub auras
Fundere. quidue Iouem & cœleſtia numina, uel quid
Virtutum toties mihi cœlica præmia narras?
Improbus ille quidem Deus eſt, nimiumq; procaci
Terminat edicto mortalia facta, quibus nil
Quod libeat, miſeris etiam feciſſe licebit.
Aſt me non ſimilis genuit pater: illius umbras
Imperium premit, ac ſtygio ſub flumine regnat
Liber, & æternos qui uerſat & euomit ignes.
Cui minimè uolupe eſt anguſtis ſtringere ſeptis
Arbitrij leges: totis mihi cedit habenis
Atq; uoluntatis confirmat ſemina noſtra.

S. E Stygijs igitur lacubus flammaq; perhenni
Eq; Herebo ueniunt generis primordia ueſtri:
Præcipuumq; decus, ceu ſtemmata prima putatis

Securè

Securè quodcunq; libet feciſſe, nec ulla
Quæ uos cancellis compeſcat, lege teneri?
P. *Scilicet hæc noſtræ mihi Nobilitatis haberi*
Signa uelim, leges uel iam ſpreuiſſe, uel unquàm
Non metuiſſe bonas, ſemperq; potirier auſis.
S. *At leges quiſquis metuit, nihil iſte timebit.*
Maxima ſecuræ ſunt iſta repagula uitæ,
Et leges metuiſſe bonas, & fidere diuis.
P. *Nec Diuos, Saxum, neq; leges arbitror ullas*
Eſſe bonas. nihil hîc cedo, quòd ficta proteruè
Iſta reer: quæ ſi ueris iam uiribus eſſent,
Legibus & maior foret & reuerentia diuis.
Vtilitate quidem leges inflectere: rectum
Metiri affectu, cœlum prætexere fuco,
Et uitium magni cultu pinxiſſe Tonantis:
Hæ ſunt humanis iam notæ moribus artes.
Nec tamen aut ſæuit uibrato Iuppiter igne,
Quem regnare ferunt: nec leges uertere poſſunt
Quo minus ingrato properent mortalia curru,
Exoſamq; uoment cœli in faſtigia bilem.
Non igitur curare deos hæc triſtia credam:
Mobilis & poſitas connectit opinio leges.
Qua mihi dat tenues equidem natura ſub auras
Rumpere, & immixtum celeri uolitare fauillæ,
Id reor eſſe Deos, id legum uincula dicam.
Cætera figmentis ludunt, quæ temnere poſsis:
Quòd nuſquàm pœnas, quòd non tormenta, nec ignes
Nec gladios uideas ſæuos punire Tyrannos.
Haud ego primæuis Virtutum nomina factis
Grata fuiſſe nego: quo tempore clara uigebat

Maiorumq́ fides, & mens ſibi conſcia recti:
Scilicet humanas inter cum numina gentes
Verſari, & iuſtis poterant dare præmia rebus.
At mundi prorſus iam Scena inuertitur: omnis
Concidit, ac nullo uirtus manet alta theatro.
Quorſum igitur ſectari animis quod prendere nuſquàm
Aut retinere potes? uirtus laudatur, at alget
Interea, & uili tegitur uix aurea panno.
Quòd ſi operæ precium uirtuti exiſteret, illam
Non magni tantum facerent mortalia: uerùm
Exprimerent etiam, atq; in facta domeſtica ferrent,
Hincq́ ſibi ingenuos populus captaret honores.
At nemo eſt cui non Virtutum nomina ſordent,
Qui non malit opes, titulos quàm laudis auitæ
Iactare, & ſolido ſibi lucra reponere cenſu.
Sunt Vitia informem quæ nunc latiſsima mundum
Corripuiſſe uides. hàc maxima turba uirorum
Vadit, & haud dubia ſtatuit ſibi commoda lance.
Fallere, mentiri, ſæuis contendere diris,
Opprimere, inſidias ſtruere, & terrere pauentes,
Carceribus pugnare feris mortemq́ minari:
Quin lucris captare modos, exquirere cenſus,
Efficta tantum ſæuire in prædia cauſa,
Exhaurire lares, miſeros contemnere, ſannis
Exagitare bonos: metam transferre, tumultus
Ordiri, & nullo conſciſcere prælia fructu:
Non uiduas patrio ſolarier ore, nec aurem
Vertere pupillo, ſcelerati pectoris ignes
Proflare, ac nulla ſe credere lege teneri:
Has multi formas, has amplectuntur erynnes.

An

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

An mirere igitur, ſi quæ mihi maxima cernam
Lucra ſequar? uulgo conceſſum eſt fallere. quis me
Hic prohibere poteſt? tum prauos eſſe iuuabit,
Et placuiſſe minus: quod non ſint amplius ullæ
Præmia uirtuti. ſolo ſibi nomine plaudunt
Mortales, ſurdoq; ferunt præconia cœlo.

S. Vt nihil à ueteri prauorum ſanguine poſſit
Degenerare? equidem Stygio te principe natum
Verè etiam affirmas, nec te tua pectora fallunt.
Non alius tantum ſub gutture uirus haberet,
Nec tam deformi celeraret uerba palato.
Et me penè iuuat, genitum te ſcire rapaci
Eſſe Deo, mediasq; inter conſurgere flammas
Nutritumq; acri uentoſis follibus igne:
Dummodò tute etiam quæ ſint tua funera, noris.
Vnde etenim primùm ſuperas contendis in auras,
Huc tete extrema fatorum mole reuerti
Iusq; piumq; putes, flammisq; uoracibus abdi.
Hæc merces ſcelerum, & meriti improbitatis honores.
Flumina nónne uides illabier omnia molli
Oceano? quid enim? celſo deſcendere ponto
Flumina cuncta uides, moxq; in ſua regna reuerti
Et ueteres iterum caput abdere lapſa ſub undas.
Inclytus Eoo conſurgit Phœbus ab orbe
Hucq; redit. cunctis ſtatuas quæ ſemina rebus
An'ne elementa? tamen formis quæcunq; ſecundis
Iam pridem egregios tollunt in ſidera uultus,
Omnia ſunt priſcos iterum lapſura ſub ortus
Et primas petitura uices: ceu frigore cum ſe
Cogit hyems glaciemq; parit, quæ Vere liqueſcens

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Soluitur in guttas, patriaq́ obnoxia lymphæ
Multiplicat fluuios, ripiſq́ alludere geſtit.
Fas igitur fuerit te regna ad priſca reuerti
Inq́ tuos iterum ſubſidere molliter ignes.
Quin tibi iam ſocios decernunt fata Gigantes
Quos apud, Aetneos inter tibi uenerit ignes
Læticia, ac duro florebunt gaudia riſu.
Sed tamen interea noſtro dum uiuis in orbe
Haud te parua ſequi, nec uilia facta uidemus.

P. Imò ego magnificis iam uerſor in ædibus, aut quid?
Delicias inter primas conſiſto leueſq́.
Interdum plantas, quæ res eſt maxima, tergo.
Sint Quercus aulis uel gloria ſumma: profectò
Non etiam nihil eſt callos deradere, tritam
Explanaſſe cutem, ſubnataq́ flaccida morſu
Vellere, & hoc tali petere inclyta balnea fructu.

S. Egregiam uerò laudem, & pulcherrima uitæ
Munera: plantarum fœdas detergere ſordes,
Vt niteant digiti, & pedibus ſit gloria mundis.
Non ea maiorum ratio fuit. Illa deorum
Progenies alio uirtutem ex aſſe ſecuta eſt
Atq́ miniſterijs non hiſce obnoxia uixit.
Aſt alio quoniam tu uitam ex ordine ducis
Planè alijs etiam tu uitam moribus auges,
Et quæ nominibus ſequeris, re facta negaris.
Aut qua deniq́ te ſuccreſcere imagine dicam
Qui ſordes alijs ſubnataq́ triſtia tergis
Complanaſq́ cutem fœdoſq́ abſtergis odores?
Cum quali ipſe ſies animo, quæ uita beatum
Hoc mortale genus, quæ deniq́ facta ſequantur:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Id tibi magnopere haud nunc pectora mouerit, aut quid
Nobilitate tumes, ſi nil ſapis? abijce criſtas,
Abijce ſublimi fulgentes ære Leones:
Concedasq́; alijs, uirtus quibus aurea cordi
Imperat, ac ſtudium eſt rectosq́; bonosq́; tueri.
Nobilis is demum eſt, qui nobilitatis honores
Rectè amat, ac uera contendit ad optima laude.

P. *Quid uerò anfractus, & hiulci tergora membri*
Multiplicesq́; poros & inexſaturabile pectus,
Nónne etiam laudanda putes? flexásne uiarum
Ambages Labyrinthus habet? nónne exit in altum
Nilus, & irrumpit ſepteno gurgite pontum?
Et plures Thebæ portas habuere: Coloſſos
Roma etiam plures, & balnea plura ferebat.

S. *Quin uerò & culices plures pluresq́; Tabernas*
Pertulit urbs Romana. decus ſi duxeris eſſe
Pluribus oppleri, iam plures ſemper arenæ
Oceani ripas deſertaq́; littora complent.
Nunc igitur cum tu tam multa foramina pandas
Circuitu, numeresq́; poros, & plurima tota
Oſtia mole feras, circumq́; latibula portes:
Haud dubitare queas, quin ſit tibi multus in omnes
Anfractus ſordes, poſsisq́; includere quicquid
Alterius fœdo ſubraſum corpore prendas.
Immò age nil animo quicquam celare neceſſe eſt.
Nec celas etiam, cum circum plurima totis
Oſtia ſtent adaperta uijs, cum quodq́; ſub auras
Effluat, & ſtulto fundas ſecreta labello.

P. *Sed leuitate tamen ſupero, quæ penè ſtupeſcunt*
Pondera mortales, meq́; hoc ceu munere laudant.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Inſtar & oſtenti retinent, cum candidus undis
Innatat, ac molli non ſidit flumine Pumex.
Ceu cum te fluuij accipiunt, quod protinus alto
Immergunt fundo limiſq́ ſequacibus abdunt.
Ruſtica tu ſoboles & dura propago colonis,
Immundoq́ luto, & bibula concreſcis arena.
Propterea magno ſubnixum pondere, ſemper
Inferiora petis cognataq́ uiſcera preſſas.
At leuis attollit me ſpiritus: inijce ſummis
Gurgitibus meme, uel aquis immitte profundis,
Si nihil obſtiterit, ſuperas ego tollor in auras
Protinus, & celeri refero mea uiſcera motu.
Haud aliter tenues quàm cum ſcrutantur arenas:
Errantes pelago fulicæ, cum grata ſub undis
Pabula ſectantur, quærúntq́ ſub æquore piſces.
Vt celeri primùm dimittunt corpora lapſu
Præcipiteſq́ ruunt, uentoſq́ & ſidera linquunt:
Sic inſperatis iterum ſua motibus ora
In ſublime ferunt auraſq́ & lumina captant.
Non ſecus & ſi quis mergat mea uiſcera ponto,
Actutum uideat ſupera in conuexa referri
Inuictoſq́ iterum diuis oſtendere uultus.
Hac me præcipuè laudant uirtute: faceſſat
Impurum argillæ pondus quo pleraq́ ſordent:
Saxa luto, duroſq́ inter ſtant fœda colonos.

S. *Nunc demum prodis qua tu ſis mente: putáſne*
Eſſe etiam magnum magnis leuitate probari?
Iam leuitas pretio eſt, & agunt ridenda triumphos.
Huc equidem uentum eſt mortalibus: aurea ducunt:
Præmia ſtulticiæ. tum quanto eſt quiſq́ procaci

Turpior

Turpior obſequio, & petulanti promptior ore:
Hoc mage delicijs inhoneſta & laude redundat.
Maxima iam pridem Virtus, Conſtantia toto
Exceſsit uulgi furijs depulſa theatro.
Languet inops recti ſeclum, factoq́; fragore
Præcipitat. ueluti ſubuerſo pondera curru
Cum delapſa ruunt, breuibus quà ſemita cliuis
Impedit anguſto geminos temone caballos,
Et prohibet proferre gradus tumulosq́; per altos
Tendere iter: ſubitis cum motibus integer axis
Voluitur in præceps: reuoluto tota fatiſcit
Machina. Dij nemorum, quanta eſt iniura plauſtris
Quanta lues, ubi de accliui rota concita monte
Spargit humi radios & lapſibus abſida frangit.
Haud aliter recti quaſſa eſt iam machina: nullæ
Amplius officijs uel honeſti lege cohærent
Virtutes, rigidos pietas Garamanthas honorat.
At uicium denſo iam militat ordine: iuncto
Futilitas leuitasq́; gradu contendit: habenas
Stulticiæ moderantur, & huc iam deniq́; uentum eſt,
Vt patraſſe malos quæ ſunt mala, maxima laus ſit.
Nobilitas ſeaenim priſcis quæ ſplendida ſeclis
Vixit, auis atauisq́; etiam ſpectata beatis:
Hos ea uiuendi mores damnauit, & acres
Sub grauitate manus, uultusq́; ac uerba ferebat.
Relligio, Virtus, ſuperumq́; haud ficta deorum
Cura, erat inuictus generoſi pectoris index.
Non leuitas, non iura dijs aduerſa, nec omni
Quos fas eſſe negat, ſtudio ſectarier ignes.
Nobilitate quidem ueraq́; grauiq́; bonaq́;

Cuiq́ etiam toto placeat mens recta ſub uſu,
Nec melius quicquam,nec maius dicere poſsis.
Conſilÿs etenim ac animi bonitate fideq́
Ante quidem cellit,rebusq́ intendit honeſtis.
Tum quodcunq́ ſubeſt ſolidum eſt:& dicere factis
Congruit,& fidis ſunt facta ſequentia uerbis.
Nobilitas res eſt quam uir bonus expetat:& quam
Solus habet,qui uerus habet. contraria fraus eſt,
At uirtus comes eſt,recto quæ militat: unum
Venturæ robur,fœlixq́ occaſio laudi.
Hæc equidem prima eſt diuiſi cauſa metalli
Admixtiq́ coloris:ubi inclyta facta uolebant
Cernier,& claris quæ ſunt data præmia rebus.
Nunc uerò aſtragalis haud pauci ſtemmata portant:
Lunatasq́ etiam plantas alienaq́ iactant
Facta patrum,& pleno ſe comparat alueus amni.
Cum tamen inſipiens meritò uocitetur, acerbo
Quòd tantum ualeat ſcelerata in dicta cachinno.
Deniq́ quod catulis plerunq́ euenerit,hunc ut
Præſtantem celeremq́ putes,properoq́ pararis
Obſequio,ut pellem media latrarit in aula:
Aſt iſtum interea ſegnemqúe parumqúe uigentem
Ingenio ſpernas foribusqúe extruſeris:etſi
Partu uno ſit uterq́ ſatus,ſit matre Lacona
Editus,& ualde generoſo patre creatus.
Sic homini pariunt uel facta domeſtica laudem
Et propria extollit uirtus,aliena pudorem
Inÿcit,ac nullos capit oſtentatio fructus:
Vel ſua quemq́ premit miſeris ignauia curis.
Nobilitas,animi res eſt:qua ſede morantur

Stemmatæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Stemmata:non clypeis,non ficto maxima ſcuto
Dædaleiſúe notis,& imagine durat inani.
Quo magis iſte quidem poterit tibi ſcurra uideri
Culpandus:quem magna etiam fortaſſe parentum
Extollunt monumenta genuſqúe frequentibus ornant
Officijs:uiles tamen ipſe erectus in uſus
Maiorum mores ſubuerſo deſtruit æuo
Bacchaturqúe furens & cædibus omnia complet:
Horribiliqúe tonat circum caua mœnia rictu.
Hunc odijs dignum,& nulla quis laude negarit?
Quod mundo Phœbus,rutulo quod ſidera cœlo,
Quod motus fluuijs,teneræ quod uita iuuentæ,
Hoc homini certè generoſo eſt ardua uirtus,
Qua ſine deformi cenſenda eſt beſtia rictu.
P. *Ergo ego nequicquam mentiri,ac fallere,noſtri*
Eſſe etiam generis certa argumenta putaui?
S. *Haud ea uera quidem generis ſunt ſigna uetuſti*
O` bone:res alia tibi menſuranda bilance eſt,
Atq; alijs cenſenda uijs. contraria prorſus
Subijcias menti ſtudia,atq; hæc certa ſequare.
Afflictis deferre manus,fulcire ruentes,
Solari miſeros,auertere cædibus urbes,
Aſſueuiſſe bonis,prauos excludere,pœnas
Aequo urgere modo:patriam defendere,leges
Non ex affectu deſcribere,recta tueri:
Iudicio inuictum,conſtantem moribus,acrem
Hoſtibus,at facilem ſeſe præbere colonis:
Deniq; & ætherei cultorem numinis,altas
Ingenio Muſas ſtudioq; amplectier,& ſe
Humanum cunctis oſtendere gentibus:hi ſunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Quos ueræ ſtatuas tibi Nobilitatis honores,
Et quæ ſigna potes leuibus præferre tabellis.
P. *Aſt ego te nullis dignarer honoribus. aut quid*
Tu tibi ſtulte uelis? facile eſt incingere ſaltus
Caſſibus: at ſæuo metuendos dente Leones
Implicuiſſe plagis, teneróue includere neruo
Difficile eſt. alij perrumpunt retia: quidam
Tranſiliunt, ubi res aſſultibus obuia ſæuos
Elabi ſpreto patitur cuſtode Leones.
Procurrunt unà lepores, horum unus & alter
Hæſerit: hoc cœpti pretium moliminis eſto.
S. *At niſi contemnas, diuos ſperare iuberem,*
Qui tibi fata regunt certoq; in pollice geſtant.
Si cœlo pugnes tete auerſante, peribis.

COLLOQVIVM VI.

Paruo moueri impendio ad rectum bonos.

HINNVLVS. ASINVS.

H. *DEſine uelle queri. ſi te natura Deúsue*
Finxerit ignauum, pulchrum eſt uirtute paterna
Hoc agere, ut ueri ſoboles habeare parentis.
A. *Hinnule, ſi quod res, quodq; experientia latè*
Iam probat, ac uero firmat mihi pectora ductu
Id fatear: non me cœlo fingente putarim
Eſſe etiam genitum, ſuperiſúe authoribus hancce
Ferre cutem, aut tali uitam me ſorte tueri.
Namq; ego quid ſacri Pollucis ſidera teſter

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Arcadiæúe deos, per magnæ fulgura Veſtæ,
Aeternosq́; ignes illæſaq́; membra pudoris,
Iuro tibi, haud unquam me detrectaſſe laborum
Multiplices operas, neq; pondera dura moleſto
Admiſiſſe animo, grauibusúe reſiſtere ſaccis.
Iumentum ſeruile traho quodcunq; malignis
Fas deus eſſe uelit, dorſo mihi ponere ſeruis:
Tum quantum liceat propero. Scit carduus iſte
Quo paſcor, macri nimium mihi dura rependi
Pabula complexu: uel carice nutrit acuta,
Vel ſpinis ſaturat uel adimplet faſce colonus.
Nec tamen inuiſo ſtrigoſum tundere ceſſat
Fuſte latus: pone ingreditur qui tergora duro
Complanat baculo neruisq́; rigentibus urget.
H. Haud ignoro equidem diuturnos eſſe labores
Ingratosq́; Aſinis. Sed enim quis neſcit & uni
Sæpè Aſino plagas uario cumularier auſu
Triſtiaq́; haud tenui condi tibi uerbera loro?
Seruitijs non pauca licent. tum ſuggerit eſcam
Pertenuem Strobilus libratq́; alimenta triunce,
Vnde tamen ueniat crebris occaſio pœnis.
Tantoperè & famuli latus hoc pertundere certent:
Res obſcura foret, tua ſi natura lateret.
Non quòd ſis Aſinus, neq; quòd graue pondus in armos
Te ſumpſiſſe putes: ſed enim quia ſegniter ipſum
Iſtud agis, duro pulſant tua tergora neruo.
Nónne uides ut diſcipulum caſtigat inertem
Præceptor ferulis, natibusq́; exaſperat ignes?
Quòd ſi alacri promptaq́; fores in ſingula mente
Et faceres, quæ tu famulos feciſſe probares,

Obſequio bonus, & uera uirtute ferendus:
Iam neq; te fuſtis, neq; grandi pertica libro
Hoc tenerum ſolito denſaret uerbere corpus.
Tum tibi læta etiam ſperares pabula: tum tu
Hoc rigido ferres molliſsima grana labello.
Lactucas ſed habent ſimiles iam labra, petisq;
Stramina pauca cibos ferulæq; aſſueſcis inani.
Vt labor aſsiduus preſſat tibi corpora: ſic hunc
Exagitant rurſus ieiunia multa laborem:
Quæ ſi nulla ſient, folijs pellantur amaris,
Aut certè uili tolerentur murmura fœno.
Interea miror quæ ſit natura ferenti
Dura Aſino, quòd non ſolitis ſe accommodet ultrò
Officijs, faciliq; animo ſua pondera geſtet.
Nam qui ſponte ſubit, quod uitam ferre neceſſe eſt,
Conſulit is gemina uitæq; ac uſibus anſa.
Rectius & citius quæ ſunt mandata, peregit:
Et domini plauſum poterit uirtute mereri.
Iam neutrum ſperare potes. nil numina maius
Obſequijs ducunt, animo cum quiſq; uolente
Officium facit, ac commiſſa negocia uincit.
A. At mihi non fuco pinxit natura doloue
Viſcera, nec tumidis inſcripſit pectora uillis.
H. Vt fortaſſe nihil tumeas, iam plurima tete
Sylua premit, coryliq; grauant, & flexilis ornus.
Nec mihi compertum ſatis id, num fraudibus abſis
Vſq; etiam, & nullo rigeant præcordia fuco.
Sæpè equidem triſti ſubigit quis lumina uultu
Adducitq; genas cilijsq; trementibus omnem
Circuit obtutum, ſcapulasq; in pectora curuat.

Ac humili multum confidit in omnia fronte:
Cui tamen improbitas ſcelerumq́ licentia totis
Imperat articulis medioq́ in uiſcere regnat.
Quis recti ſpecie non decipit? aufer ab æuo
Stulticiam, primas habeat ſimulatio partes:
Quæ fuco miſeras euertat ſubdola gentes.
Quid ſi indignanti ac præfracta mente repugnas
Calcibus, aut animo ſubeas nolente farinam?
Indolis eximiæ eſt, animo ſi iuſſa lubente
Perficias: neq́ te dura ceruice rigentem
Auferat officio naturæ liuor, eoq́
Inuiſum tete iam prorſus acumine reddas.
An dubitas etiam? faciles in ſingula motus
Mens generoſa capit. quin uirgæ flexerit umbra
Seſſor equum. quin parua mouent impendia rectos.
Vt quæ recta ſient poterint cupiiſſe uideri.
Vix tenues ſonitu uenit latratus in auras,
Cum ſimul impulſis attollor in aera plantis
Exagitoq́ gradus, uentoq́ fugacior omni
Exſupero montes, meq́ in mea luſtra recondo.
At uerò excutiunt ceu lenta capiſtra iuuenci,
Sic nullis poſſunt mortalia pectora dictis
Conſiliiſq́ capi. morum qui ſemina rectè
Iudicet, ac toto naturas explicet aſſe,
Egregia certè præſtare hunc mente neceſſe eſt.
Namq́ inconſtantes rabidoſq́ ac uana tumentes,
Inuidia fœdos, & inania multa ferentes,
Et quibus haud quicquam iuratis credere poſſis,
Cum Curios ſimulent & Bacchanalia uiuant,
Optimaq́ immani ſugillent facta ueneno:

Quin uitam prauo ducant è ſemine, nemo
Vt dubitare poteſt, ita qui dubitauerit, errat.
At melior natura uirûm, non præpete ſenſu
Inſanoq́; ruit: quamuis & læſa ſubinde
Aeſtuet, ac calidam uerſent præcordia bilem.
Humanos etenim mores uitamq́; beatam
Eſſe putant, dignos ſi ſeſe in mutua præſtent
Officia, & nulli ſtudio nocuiſſe ferantur.
Deniq; non magno ſtant hæc impendia cenſu
Nec multis agitur uerborum ambagibus. uno
Flexeris articulo motos, & protinus uno
In tua momento pacatos commoda uertas.
Digna deo uita eſt, cum te patiare moueri
Conſilijs, ne quid uirtuti abſiſtere tentes,
Nec quæ recta ſient ſtudio inſectere procaci.
Tum gratum eſt, placidis excellere moribus. at te
O Aſine, eduro fas ſit cuſtode teneri
Et ſeruire molis, implereq́; ſentibus aluum.
A. *Siccine tute etiam? confidere cœpimus, & ſpem*
Penè fouere: quòd hinc te conſultore laboris
Cura mihi poterat leuius toleranda uideri.
Verùm age ſidereis maculate coloribus armos,
Eximijs uariate notis, & pelle uenuſta
Aucte ſatis: monitus etiam leuis Hinnule noſtros
Auribus admittas, & corda ſub intima condas.
Non mihi fulgentes circum mea tergora ſtellæ,
Nec mihi purpureo rutulant cita fœmora limbo.
Sed tardos ſegnesq́; meos mihi dicier artus
Informemq́; cutem patior: quia ſcilicet iſto
Præmia pro meritis redduntur ſæpè labello.

Quæ me cunq; tamen maneat fortuna, ferendam
Noueris. An'ne tua me deniq; uelle putares
Conditione frui,pariterq; in luſtra ferarum
Ducier,ac uaſtis terrarum ſaltibus abdi?
Non mihi delicias hac comparo lege:faceſſat
Aut tingi maculis & amœno uellere pellem,
Aut falſa tantum ſub libertate uagari.
Credo equidem affligunt miſerum mihi pondera dorſum
Et grauitate premunt:tamen inter uiuo beatos
Plerunq; Agricolas:quibus & ſeruire uoluptas
Sit mihi prima dijs,& fas præſepe tueri
Quod tueor,quod fortuna tribuente tuebor.
Non uni toleramus hero:iam publica noſtris
Res uiget aucta bonis,onerique ſtat inclyta noſtro.
Quicquid agri campusq; tulit,cum mollis aratro
Scinditur,ac dites prolectant ſemina fructus:
Vrbibus id totum inferimus,ſtudioq; diurno
Ciuibus abſumptos reddunt mea tergora paſtus.
Allia,rapa,nuces,olus & cum lacte butyrum,
Multiplicesq; herbas & grata legumina porto.
Huic uacat officio dorſum mihi:pabula quæ me
Poſſe iuuare putes plenos redduntur in uſus.
Interdum fortaſſe queror,cum ſcilicet huius
Aſsidui meme poterit tædere laboris.
Aſt ego diuerſo complector ut omnia uultu,
Me fortunatum ſolum deprendo,nec eſſe
Quod meritò querar,aut ſuperis indigner amœnis.
Te uerò immenſa luctari clade metuq;
Torqueri aſsiduo meritisq; pauoribus angi.
Cornua,rete,canes,ſonitus,uenabula,clangor,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Tendiculæ, caſſes, lori, plaga, nitra, ſagittæ,
Hæc equidem aßiduis tibi corda pauoribus urgent.
Cumq; ſupercilijs frontemq; animumq; tumeſcas
Et ſapiant tibi magna genæ, ſpireſq; ſuperbæ
Neſcio quas animo uires, cupiasq; uideri
Fortior, & nullo ſubducere colla timore:
Tu tamen elumbi ceu corpore fractus, ad omnes
Deficis articulos tenueſq; ſtupeſcis ad auras.
Cumq; pericli aliquid latrantibus alta moloßis
Aut inſtare uides, aut poſſe inſtare uereris:
Conſulis actutum pedibus, rapidoq; uolatu
Te fuga, te curſus, ſibi mens malè conſcia, duris
Morſibus umbrorum, & ſubacutis dentibus aufert.
Deniq; communem hanc hominum quo munere uitam
Qua ratione iuuas? nihil eſt proflare ſuperbi
Ingenij flammas, alióſue inceſſere dictis,
Cum ſapias nihil ipſe, nec ulla in parte labores.
Immane eſt quoddam fuci genus, omnibus unum
Funeſtum & crudele bonis: quod publica quamuis
Arrodat tantum atq; exſugat, hirudinis inſtar
E medijs etiam ſublectans grata medullis,
Viſceribusq; tumens & opima plenius aluo:
Neſcio quo tamen oſtentat uel more uel uſu
Se quoque, & in primis ferri ſermonibus optat:
Vt quod ualde etiam non tantum ciuibus, at iam
Agricolis proſit: iam cœlo militet, omnes
Promoueat numeros, ſyluisq; moretur, & inter
Multiplices nemorum flexus pulcherrima rebus
Conſilia expediat. ſolum cui Iuppiter imbres
Deſtinet, ac medias inter ſerat ocia frondes.

Interea

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Interea hunc Aſinum iumentaq́; cætera culpat
Proſcinditq́;,uelut precij nullius. an ipſe
Non tamen hæc ſolus quæ pondera maxima porto:
Rura beo:ſectorq́; uias,& multa per urbes
Commoda diſtribuo:quamuis ſim forſitan ipſo
Tardior inceſſu:nec me color aureus iſte
Quo ſcelerate tumes,gracili nec fœmore ſtrictum
Crus uehat,ac maculis inſignia tergora tollant?
Id mage ſit tete fas Hinnule ſcire,procaci
Scommate quàm noſtros deludere poſſe labores.

H. Quin age,iam pridem conſultat ruſticus,ut te
Creſcenti gnato monitorem tradat. at heus tu
Difficile eſt Aſino grauibus deſueſcere ſaccis:
Blandula ſectari,ſubmittere crura choreis,
Aut ſua delicijs inducere pectora noſtris.

A. Sunt ea digna tuis mihi præmia moribus:hæc uos
Vna iuuat ratio,ſannis conuellere,ſi quid
Rectius à miſero dictum uideatur Aſello.
Neſcio quo tamen ore tumes truculentior. Aſt quid
Stulte fugis,quo ſtulte fugis? patiare morari
Et tibi parce uia. Canis hic mihi nunciat eſſe
In foribus dominum,non te inſectatur. alunt'ne
Pectora praua metum:quamuis ſibi proſpera fingant
Et credi ſecura uelint quæcunq; ſequantur?
Nil ſuperi melius tribuunt:quàm fungier alti
Partibus officij. & ſtudeas cum pectora recto
Munire,hac equidem contentus ſorte quieſcas
Quam cœlo uideas tibi diſpenſante probari.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

COLLOQVIVM VI.

Nihil eſſe adulatore noxius.

GALLVS. FELIS.

G. SI tibi ueloces inhiberent fœmora curſus
O Felis, tardo & proferres lumina motu:
Haud toties miſeros lacerarent guttura mures,
Nec tua ſanguineo maculares uiſcera rictu.
F. Haud tibi Galle ſatis res eſt perſpecta: nec omnis
Hæc fortuna agili plantarum ſurgit ab uſu.
Artibus aſt alijs uenit hæc mihi præda. parúmne
Id generoſe putes: ſi deſtituare ſequendi
Viribus, ante quidem uertendi munere cellas?
Inſulſo nimium delaſſat acumine uitam,
Maxima qui ſolis ſectatur uiribus, ut qui
Arbitrio tantum poſitis det iura tabellis,
Haud alia ſubnixus ope. aut quid fortius Vrſis,
Quid magno maius, res eſt comperta, Caballo?
Haud tamen illa ſuis quia fidunt uiribus, omnes
Protinus articulos momentaq́ cuncta uolendo
Expediunt. multis minus eſt cepiſſe: forentq́,
Si non & temerè tentaſſent multa, beati.
G. Quas Cate quas igitur memoras mihi callidus artes
Illecebrasúe canis? ſi te natura ſagacem,
Si dedit eſſe citum primiſq́ in morſibus acrem:
Egregiè tecum pacta eſt: nihil amplius optes.
Credo ego ſuccenſis ardere caloribus aluum
Et nimia Veneris tibi membra cupidine ſpargi:

Id

Id tamen & merito poteris meminiſſe pudore,
Et famæ labem tam fœda incendia ſpargunt.
F. *Haud equidem inficior flagrare libidinis omni*
Pectora noſtra malo, tacitisq; intendere technis
Sectariq; omnes, quà dat Venus ire, latebras.
Sit catus hic felem qui nutrit ruſticus albam,
Idaliæ flammas & noſtri furta caloris,
Applauditq; etiam, & me tecta ſub intima ducit.
Non tamen iſta meos uia promouet una labores,
Infercitúe animum ſperatis ſemita rebus.
Caſsibus iſta alijs capienda eſt præda, dabitq;
In noſtras ſe uicta manus, ultroq; ſequetur.
G. *Mira refers, quis enim dubitet? concedere ſponte*
In tua uota citos, & adire pericula mures.
Interea noſtros cùm non ea turba uolatus
Congreſſusúe ferat, ſonitusq; ſtupeſcat ad omnes:
Si quas fortè meis accendi cantibus auras
Sentit, & è ſolito uoces clamore cieri.
Te uerò accedat, quem toto iuſta triente
Inuiſum natura dedit, penitusq; repellit
Et ſocias nullo iungit tibi fœdere partes.
Vt mea fulmineos terret uox alta Leones
Et mutare gradus horrereq; uiſcera cogit:
Sic tu percellis metuentes aſpera mures,
Seu te prodat odor, ſeu te conſpectus adumbret.
F. *At mihi natura quod non conceditur: iſtud*
Arte ſequi ius fasq; ſinit: dij ſubdere utrumq;
Ingenijs ſatagunt, rerumq; in commoda uertunt.
G. *Quam mihi iam toties artem, quæ ſemina narras*
Ingenij? nullis pulchrum eſt ambagibus uti:

Atq; impoſturis caruiſſe, domeſtica laus eſt.
F. *Haud impoſturis delector Galle: uetuſtis*
Artibus, ac ſolitis magnorum moribus utor.
Rectius & nullo poteris celebrarier uſu,
Quàm ueterum ſi te ratio delectet, agasq;
Sedulus id, priſci quod dudum egere parentes.
Laus ea ſumma uiris, trito ueſtigia greſſu
Figere, & antiqua ſub conſuetudine duci.
G. *Vera ais, antiqui ſancto ſi tramite mores*
Librati niteant, & agant quæ recta parentes:
Tum decus eximium, tum res excelſa putetur.
Ardua maiorum ſectari facta: nec illis
Aut noua præteritis, aut noxia uelle tueri.
F. *Haud mihi magna quidem rerum ſit cura, probatæ*
Quali etiam noſtris olim maioribus uſu
Perſpectæq; forent. minus ut rationis ineſſet
Conſilijq;, tamen plus ueræ laudis & alti
Officij fuit: ac ſupero fuit aucta parente
Mens etiam, & ſoli ſtudium aſpirabat honeſto.
Quod ueteres faciunt, rectum eſt. natura minores
Imperio ſubijcit, primosq; imitarier audet.
G. *Quæ ſunt praua, uelis non perfeciſſe: tametſi*
Aut pater, aut poterint blandi hæc ſuaſiſſe clientes.
Ludit in humanis funeſta ſuperbia rebus
Tutelamq; è iure petit, cum fortè malignis
Se ſtudijs latè ſpectandam præbuit. hac tum
Venditat officium ſpecie, cum fraude minores
Prendit, & ignaros occulta in retia ducit.
F. *Neſcio mortales quæ non ſibi blandula fingunt*
Somnia. fortaſſis uolupe eſt, ſi uana ſequacem

Titillent animum figmentaq; dulcia ludant.
Stulticia eſt ſperare bonos, quod prendere nuſquam
Sectari'ue queant. probitas laudatur, at illam
Nec tuba, nec cytharæ, nec tympana clara, nec omnes
Clamantum plauſus in apertum educere poſſunt.
Vſq; adeò uel carceribus compacta cicutam
Hauſit, & è gelido langueſcunt lumina ſomno,
Vel certè extremos iam pridem euaſit ad Indos
Brachmannoſq; feros, atq; ultima climata mundi
Incolit, ac dubio uiuendi iure laborat.
Hîc ueteri tantum iam nomine cognita, magni
Relliquias generis ceu ſemina parua tuetur.
Tu rectum toties & ueræ præmia laudi
Commemoras, tanquam ſi uel tibi tempora rectum
Vlla ferant, uel ſint habituræ præmia laudes,
Officióue pios reddat moderatio fructus.
Deſine uelle bonus cenſeri Galle: poteſq;
Protinus excelſis inducier ædibus: ut ſis
Et terror populis, & ſæuis pœna caballis.
Si pinus celſas oppreſſerit effera quercus
Imponatq; graui meditata ſilentia fago:
Quid te Galle putas facturum deniq;? magno
Incuties clamore metum, camposq; per omnes
Anxia terrifico ſubiges animalia cantu.
Cum tempeſtates medio tabulata profundo
Atq; uterum moles, & firmas ære carinas
Soluere nauta uidet, clauumq; reuellier undis,
Diffluere & totos malo nutante rudentes:
Iamq; ſinus & uela cadunt: antenna ruebat
Illapſoſq; bibunt diuulſa repagula fluctus:

Quæ uictis animum poterit ſpes amplius? aut quæ
Confirmare dies? aliquam ſpondere ſalutem?
Iuppiter unus habet tantum uirtutis & alti
Arbitrij, reliquis naturæ uiribus actum eſt,
Nullaq́ ſecuros reddunt cataſtromata nautas.
Haud ſecus emoto iam cardine uita per omnes
Soluitur articulos, rectumq́ excedit ab æuo,
Seq́ adeò inſinuat uitiorum lerna triumphis.

G. *Haud ignota mihi ſunt hæc incommoda: largo*
Pectora nonnunquàm gemitu turbamur. at inde
Quæ medicina malis, uel quæ ſolatia rectis?
Id demum expedias Felis mihi, numine fretus
Ad te quo poſsis timidos deducere mures,
Vt ſponte accedant, ultroq́ in fata ſequantur?
Vellem etiam meme præſtare hac arte: profectò
Nonnunquam miro meditarer ſeria luſu:
Inſolitasq́ adeò ſpectares tute choreas.
Nunc me non mures tantum, ſed maxima ſæpè
Beſtia multa fugit: licet ipſe domeſticus hiſce
Officio proſim & depellere triſtia certem.

F. *Vt tete fugiant reuerentia iuſſerit. an non*
Has inter noſtras regnum te & iura uolucres
Exercere putem? Quis te non Galle ſuperbis
Laudibus extulerit primoq́ inſcribat honori?
Indolis eximiæ naturam pandis. & illud
Quid tibi commemorem capiti decus? inclyta Regum
Inſtar habes rutulis diademata fulgida criſtis:
Et Soli ſacer, æthereum non rarus olympum
Aut limis ſpectas, aut promis uocibus auras.
Quin tibi magnificos Latona puerpera greſſus

Aut

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Aut dedit, aut ſaltem poterat tribuiſſe uideri.
Officij memor, ac ueteris non neſcia luctus.
Hanc maieſtatis formamq́; & nobile pectus
Ingenijq́; notas & certi fulmina cantus,
Horreſcunt primùm, ac metuunt ceu fulgura mures.
Excéduntq́; locis antroq́; teguntur inani.
Nec tamen & ſemper trepidis ſe curſibus addunt,
Deſertasq́; domos Gallo inclamante relinquunt.
Mox etenim cum te uideant ceßiſſe canendo,
Nota reuertuntur celeres in tecta, petuntq́;
Te propter nulla ſolitos formidine luſus.
Aſt ea non noſtros coniungunt fœdera ſenſus
Tanta nec his poterit fiducia muribus eſſe,
Vt me pertulerint, & noſtra ad iuſſa reſiſtant.
Nam ſimul ac ſenſere Catum, mora nulla paciſci
Cum pedibus uideas, abitusq́; urgere uolantes
Speluncasq́; breues & tuta ſub antra reuerti.
Inſequor actutum, libeat mihi uera fateri,
Saltibus aßiliens: ſed rarò præda rapaci
Hæſerit ore, cito fallunt quia guttura curſu
Et taciti eludunt minitantes uulnera rictus.
Quos igitur nequeat uiolentia prendere mures
Ars capit, arte tamen fœlix uenatio noſtra eſt.
G. *Hanc technam & ſtudij tam certa pericula ueſtri*
Dic Cate. dant alijs patrij monumenta ſepulcri
Aut genus, aut formæ decor, aut ſua gloria laudem:
Te celebrant magnis inſcriptæ fraudibus artes,
Et Venus, & fœlix capiendi induſtria mures.
F. *Deploranda forent miſerandæ incommoda uitæ,*
Si nihil ingenio, ſi nil hac arte ualerem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Nam ſimul illuſum cum ſentio uiribus eſſe,
Atq; operam raptu totam mihi perdier: iſtic
Conſilio, & cautis in rem mihi legibus utor.
Fingit amicitiam Felis, luſusq; iocosq;
Suſcitat, ac uacuis delector in ædibus eſſe.
Quis miros capitis ſinuoſo in corpore flexus,
Quis'ue obliquati tot blanda uolumina dorſi
Explicet? ingenio cedunt mihi uiſcera: tot me
In formas, tot me ficta in iocularia uerto:
Vt cautos etiam, res eſt mihi certa, Leones
Decipere, & Lynci conando illudere poſſem.
Applaudunt mures ſimulanti. ſæpè ruentes
Prolecto, ac nulla congreſſos clade remitto.
Donec & in caſſes numero mihi diuite præda
Venerit, ac triſtes inferciat obruta morſus.
Sic mihi quod nullæ poterant adducere uires,
Quod natura fugat, quod mens auerſa repellit,
Perficit haud leuibus ſimulatio proſpera technis.
Quin uerò ne quid deſim mihi, ſæpius ipſum
Me fato extinctum ſimulo. iaceoq; per omnes
Porrectus numeros: collumq; pedesq; oculosq;
Tempero, ne noſtris deſint ceu funera membris.
Hæc ratio fructu multò eſt ampliſsima. quæ nil
Diſsimulat, nullos capiet ſolertia mures.

G. *Agniculis ſed enim primaq; ætate tenellis*
Atq; Lupis, prorſus commercia nulla uideri
Dixeris: horreſcunt primis aſpectibus. aut quid
Noſtram etiam ſobolem Gallinæ pignora dicam?
Vix tenuem miluus telluri obiecerit umbram,
Cum pulli fugiant ſeq; intra tecta recepient,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Vſq; adeò noſcunt ſpacijs diſtantibus hoſtem.
Te uerò mures excire in fœdera: nónne
Id fuerit totas naturæ inuertere leges?
F. Forſitan exiguus, primis nec callidus annis
Aſsilit interdum, comitesq; educit inermes
Incautosq;, ſuis haud unquàm cladibus actos:
Hos rapio, luſum cum iam ſatis eſſe putetur,
Et mihi funeſtam ſuccendant pectora bilem.
Hîc ſit amicitiæ finis, cùm prima domatur
Ventriculi rabies, ſaturatq; ea præda uorantem.
G. Dij quantum noxæ quantumq; in funera cladis
Fœdus Adulator, cui circum plurima mentem
Verſatur dubijs ſimulatio tecta latebris,
Intulerit? quid non ſcelerum triſtisq; ruinæ
Teter alit, ſcabiem dum affricat moribus, & iam
His nil deterius, magnum quibus artibus orbem
Flagitij pater & rebus ferus oſor honeſtis,
Obruat ac parto ſtatuat ſua culmina regno.
Multa equidem abſumit belli Deus: obijcit atræ
Corpora multa neci, morbis dum ſæuit acutis,
Phœbus, & eximias graſſatur peſtis in urbes.
Multa etiam Bacchus ſternit: ſunt plurima ponto
Quæ ſubmerſa iacent, leuibusq; agitantur arenis.
Deniq; multiplices immittit gentibus iras
Nonnunquàm Deus, & uario premit alta furore.
Aſt damni nihil iſta quidem dat turba, moleſto
Si ſimulatori libeat conferre: quòd omnem
Vicerit hic peſtem, & ſuperet feritate uenena.
Tum uerò ſi quis ſtygij nigra regna Tyranni
Eumenidumq; faces, & Auerni guttura pingat:

Non alia tantas comprendat imagine clades
Quàm ſimulatoris ſi fœdos lumine mores
Exprimat, ac uero referat fera facta colore.
Nam phlegethonteos odijs immanibus angues
Et furias ardere ferunt, ut ſecula diris
Fluctibus inuoluant, & perdere maxima poßint.
Interea tranquilla tamen ceu fingere: miros
Induere obſequio uultus, & plaudere factis.
Haud ſecus Ardelio & ſimulator uanus in omnes
Flectit adulandi numeros ſua pectora: ſolus
Qui, quod adhuc poterat rectum mens cernere, frangit.
Hæc eſt illa bonis contraria moribus hydra
Lerneo generata lacu, quam dextra potentis
Alcidæ toties fertur miſiſſe ſub orcum
Et reſides ſecuiſſe iubas lethoq; dediſſe:
Tot noua colla tumet, tot pullulat ora colubris,
Tot renouat uultus ueterumq; in ſede reponit:
Cœleſti donec fultus uirtute ferocem
Strauit, & æterno concluſit lumina ſomno.
An non decipulam, qua prendi maxima poßint,
Eſſe putes? in quam, ſi quis uitare uolebat
Ni uitet, ſubita lapſum ſe fraude queretur.
Suaue malum dulcisq; lues, ubi mortis acerbæ
Funera, quàm morbum prius experiare neceſſe eſt.
Anchora flagitijs tutiſsima: Regibus alta
Pernicies, qua ſumma labant rectumq; fatiſcit
Et malè promeritis cumulatur gratia rebus.
Nam qui aſſentari didicit, ſtruit omnibus unum
Exitium. primi pereunt, quos eſſe deceret
Illæſos, fatoq; auctos meliore potiri.

Sternuntur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Sternuntur paſsim reliqui, pelluntur, aguntur,
Atq; indignantes horreſcunt principis iras.
Hoc aulis commune malum, certiſsima peſtis,
Oppreſſura bonos, ueniamq́; datura malignis.
Aſt ut Adulator peragat ſua commoda: fictis
Laudibus accendit magnorum pectora Regum
Factaq́; miratur quamuis deterrima: molle
Sermones oleum ſimulant, ſed ſpicula blando
Sub feritate tegunt, iaculisq́; onerantur acutis.
Tum uerò ſeſe multorum ad uota dolosq́;
Commodat, ac dictis ſubſcribit inanibus: alba
Nigrat, & è nigris producit blandulus alba:
Obſequium ſeruile ſubit: blanditur: & omnes
Sugillat: nec herum fido ſatis ore ſequetur.
Hæc aulis prima eſt merces, hæc prima uoluptas,
Hoc operæprecium. cum iam ſatis intulit auri
Detruſitq́; loco, quibus inuidet: altera mox hunc
(Ne ſua flagitijs iuſtiſsima præmia deſint)
In noua producit meritum ludibria cornix.
Ergo alios qui dente prius fortaſsis acerbo
Strinxit, & occulto cumulabat uulnera morſu:
Incautis dum qua noceat uel parte, uel arte
Terreat, ac tacitis affundat damna uenenis,
Fortunæq́; gradus Echeneis dira moretur:
Inuerſæ tandem ſortis mala multa uiciſsim
Sentit, & irato meritas dat numine pœnas:
Exiſtitq́; alius qui multò tetrius ipſum
Pingat, & in cumulum maiora prioribus addat.
Hîc uarias pridem in formas ceu Prothea ſeſe,
Dum noceant, uertiſſe malos nil proderit, arte

Luditur ars, capiturq́; ſuo Vulpecula neruo.
Nec toties iuuat hîc tenuem ſimulaſſe Cupreſſum,
Aut domini uafro plauſiſſe ad iuſſa cerebro:
Non ceßiſſe uijs, non magno æquaſſe Tonanti
Progeniem, aut primis educere gentibus ortum:
Qui ſunt Gnatonum, turpißima pectora, mores:
Omnia blanditijs & amaro obducere melle
Inq́; recuruatos diſtringere ſpicula flexus.
Si laudas, laudant: properas ſi, curſibus inſtant,
Lentius incedas, teſtudine tardius ibunt:
Quòd ſi bella probes, lituosq́; & claßica fingunt,
Si ſtudeas paci, iam ſunt uenabula damno:
Viciſti Lepores, memorant ſtrauiſſe Leones:
Si cadis, actutum ſubuerſo corpore languent:
Cliſopho ſimiles, qui cum de crure Philippus
Fortè laboraret, claudum ſe fingere: riſit
Et Chariſophus, dominum ridere uidebat
Cum procul, & turpi uenatur acumine laudem.
Deniq́; quicquid agis, ſeu damnes uera, probes ſeu
Falſa, tuis ſemper ficto paraſitus honore
Militat, ac blandè ſubtendit guttura dictis.
Palpo percutiunt, inſtillant toxica luſu,
Formoſi aſpectu tantum, qui funera molli
Certa parant riſu, mortemq́; in laude relinquunt.
Ceu cum tu miſeros in tanta pericula mures
Ludendo trahis, & ſceleratam immittis in aluum.
Inuiſum diuis genus, atq́; odioſa Mineruæ
Turba: quibus pretij nihil eſt, aut fallere recti
Circuitu, aut falſo deludere ſeria uultu.
Pernicies extrema bonis, ſeu prima gubernant,

Seu

Seu primis parent. Stygijs & manibus eſto
Deterior, quiſquis diuerſum in mente recondis,
Quando aliud molli ſimularint guttura dicto.
Quanquam neſcio quæ iam me natura. ſed iſtud
Nec te ſcire iuuet, nec me proferre neceſſe eſt.

F. Fruſtra obfirmatos reuocat ſapientia mores.
Non omnes quæ tu deducere carbaſa poſſunt.
Tu quæ uera probas, & quæ ſunt recta celebras
Semper, & ingenua diſquiris in omnia lance.
Nos aliam iuuat ire uiam, qua maximus orbis
Tendit, & haud dubio ſpectat ſua commoda lucro.

G. Nec lucrum poſſis, nec commoda dicere, ſi quid
Aduerſo prorſus meditatur uita Tonante.
Vera manent, cum nulla manent: & falſa peribunt
Omnia, nec ſolidos capit hîc ſimulatio fructus.
Dij dant magna bonis, & quæ data magna tuentur.

F. Hoc ſacrum pectus: hæc ſunt ſolatia. uicit
Conſilio Gallus. ſi fato uincat, amuſſi
Ex una geminos ſibi contrahit acer honores.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

C. Eraſmi Michaelii Læti,

COLLOQVIORVM MORALIVM Liber III.

COLLOQVIVM I.

Μέγιϛον ἀφραίνουσιν αἱ κολάσιες ἀγαθὸν.

ROSA. CATELLVS.

R. LVbrica res amor eſt. ſed mens ſibi conſcia recti
Vincit opes, largo quaſcunq; Britannia cenſu
Stipat, & è uarijs regnorum fructibus auget.
Aſt rutulans etiam quis non contenderit aurum
Diuitias inter multum pollere ſuperbas?
Sed precium uincit, famæ decus. æthere claro
Cum ueluti Phœbus celeres diſpenſat habenas
Exercetq; polum facibus lucemq; per omnes
Infunditq; fouetq; gradus: dum militat orbi
Deſuper aſpiciens luſtratq; è ſidere mundum,
Omnibus unus equis rutulo & gratiſſimus aſtro.
Haud ſecus excellit ſeruati fama pudoris
Et capit æternas non perdita præmia laudes.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Nominis eximij ſit maxima cura:nitentes
Res ea diuitias & cælica balſama uincit.
Me uerò oppugnant diuerſo è cardine uenti
Præcipitesq́; ruunt,uicinaq́; plurima ſternunt.
Hinc Boreas tonat,hinc calido furit Aeolus auſtro:
Blandior hinc Eurus rutulo miteſcit ab ortu,
Hinc zephirus uario cumulat ſpiramine crebras
Multiplicesq́; minas.ego ſum quæ ſola furentis
Suſtineo impulſus & triſtia murmura uenti
Obnitorq́; malis,quocunq́; ex ordine gratam
Deſertamq́; Roſam turbare procaciter audent.
Quin age nonnunquàm petulantes noſtra capellas
Inſidijs petijſſe uides,& dente ſalaci
Attentare comas foliumq́; inuadere morſu.
Interdum à fœdis mihi ſparſa opprobria porcis
Quis neſcit?tamen hîc quo me mea fata tuentur
Præſidio,notum eſt.ſepem natura proteruis
Obiecit talem,quam non ſubuertere porci,
Nec caper elato poterit tranſcendere curſu.
Nonnunquam ſedenim mihi luſitat ante Catellus
Iſte pedes,reficitq́; leui mea pectora ſaltu
Blandus,& afflictis miſcet ſolatia rebus.
Quem cum fortè dies aliquot fruſtrata requiro
Triſtor,& attracto folium marceſcit honore.
C. *Si tibi caſta mei quicquam placuiſſe laboris*
Officij ue queat,meritam tete eſſe fatebor
Vtilitas de me cui multò ampliſſima cedat.
Me uerò haud auerſa quidem neq́; fracta uoluntas
Arguit abſentem. ſtudio uerſabar,eramq́;
Pectoribus tecum:quamuis mihi triſtia cladem

Interea, & ſubitos cumularint fata dolores.
Cernis adhuc quanto ſolidat mihi uulnere dorſum
Et quantas tulerim circum mea tergora plagas.
Vix decima ueteres iterum me luce ſub auras
Profero, & excedunt languentia corpora fœno:
Cum mihi ſiccatos linguæ porus attrahit artus
Deterſamq́ cutem ratio ſecreta reducit.
R. Proh diuûm cœliq́ fidem dextramq́ Tonantis,
O' mihi deliciæ, & noſtri pulcherrima regni
Gloria: cui circum totas decurrere noctes
Cura fuit, uigiliq́ oculo mea rura tueri:
Exiguo certè cum præſtes corpore, quis te
Aut genij deus, aut properantis ianua lethi
Cladibus obiecit tantis? quo numine tandem
Propitio hos tales poteras ſuperare dolores?
Aut quorum manibus tam fœdum in tergore uulnus
Quoúe loco acceptum languenti in corpore portas?
C. Aula mihi quamcunq́ uides è uulnere cladem
Intulit: illa meos ſimulans bona, perdidit artus
Et uicina neci properauit funera noſtræ.
R. An' ne etiam memoras aulam mihi? nunquid & aulam
Tu quoq́? cœleſtes tete offendiſſe neceſſe eſt
Et uiolaſſe deos, quorum inclementia tantas
Impulit in pœnas, teq́ hæc in fata coegit.
Quin tu dæmonio & furijs ſtimulantibus actus
In tua damna ruis: quòd cum tu ruſtica fido
Officio ſoleas ſtudioq́ hæc tecta tueri:
In Scyllam horrendum latrantibus inguina monſtris
Præcipitas tete, ac ueteri iam more relicto
In ſcopulos ratibus diramq́ ferare charybdim.

Qua

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Qua tamen iſta mali ueniat tibi cauſa, quibusq́;
Inijcijs demum miſeros laniauerit artus
Fare age, & à primo refer infortunia caſu.
C. Mos mihi nonnunquàm dominum comitarier altos
Aulaï ad poſtes, interq́; ſubinde Catellos
Ludere, blandiſonis quæ circum ſaltibus errat
Plurima turba, leuesq́; aſſultibus incitat auras.
Hîc miros equidem flexus mirosq́; recurſus
Procurſusq́; uides: atomos ceu ludere tectis
Immiſſos radijs per opaca foramina cernis.
Aut ueluti alternant feruenti piſa lebete
Et uarios agitant motus ſurſumq́; deorſumq́;.
Ingenti ſubtus cum regnat flamma calore:
Haud aliter paruos inter mihi prima catellos
Ludere cura fuit, ſaltuq́; agitare procaci
Hinc atq́; hinc ſubitis & uertere motibus artus.
Interdumq́; etiam ſi quæ me iniuria læſit
Dentibus ulciſcor, uimq́; arceo uiribus, & me
Non prædam patior melitæis eſſe catellis.
Interea & noſtris accedit luſibus Vmber
Iam comes, & medium ſubitis ſe motibus infert
Blandior initio primisq́; aſpectibus ora
Mollis, & aurato ſpectandus guttura limbo:
Hic ubi iam multis agitat ſe curſibus omnes
Impellens numeros, circumq́; palatia fertur:
Aſsilit aſperius paulatim, & corporis ipſo
Impulſu lædit: quantumq́; accommodat ora,
Ora nocent, pedibusq́; terit ſubigitq́; minores.
Iamq́; adeò, ueteres ſeu conſuetudinis uſus,
Ardua ſeu morum truculentæ inſignia norint,

Luſibus excedunt reliqui, ignotumq́ relinquunt
Me ſolum, & uarios inter dant currere poſtes:
Continuoq́ iocos, quia robore maior: at ille
Durius impactis cum ſtringit dentibus armos,
Ad ſolitas artes ueteri pro more reuertor,
Atq́ minas referire minis, & reddere morſum
Morſibus, ac forti propero dare uulnera collo.
Hîc equidem in rabiem & ſubitas commotus in iras
Irruit in tergus miſero, prenſumq́ molari
In ſublime rapit, rurſumq́ illiſit in atram
Dirus humum, & ſæuo tardat mihi uiſcera rictu.
In præceps Aquilæ ueluti cum corpora lapſi
Aut trepidas raptant uolucres, aut obuia ſternunt
Perq́ ſuas liquidum tranſuectant aëra prædas:
Sic mihi funeſto comprendit tergora morſu,
Præcipitatq́ graui laceratum uulnere corpus:
Atq́ abit elato ſimilis, paſſimq́ triumphum
Ructat, & effrenis uacua dominatur in aula.
Aſt ego confracto ceu tergore languida plorans
Membra traho, gemituq́ auras & luſtra tyranni
Execror, & grauibus teſtor mea damna querelis.
Cum uerò & portis iam uulnere tardus iniquo
Exirem, & merito cumularem mœnia queſtu:
En noſtro quidam ne deſint ulla dolori,
Verbero, dirarum ſoboles & Tygride ſæua
Paſtus: ubi Hircanas ſubmittit in ubera peſtes
Caucaſus, & rigidas animum detorquet in arctos:
Brachia ſubnixus iaculo, cum multa querentem
Audit, ut immani ſtetit acer lumine, portis
In medijs cædit, ſummaq́ coronide donat:

Subridens

Subridens etiam ac ſolita improbitate iocatus:
Heus, ait, iſta Canis, ne quid tibi deſit, habeto:
Et meminiſſe uelis huiusq́ ac huius. ego omni
Cura abitum celero: quis enim non tardior iret
Ceu ruptam duplici laſſatus uulnere pellem?
Cumq́ aliquis me etiam nitentem cernit, & ægrè
Nexantem nodis gemituq́ ita membra plicantem:
Inſultando graui ſubitum mihi uoce dolorem
Auget & hos tales mittit ſub pectora caſus:
Dic mihi blande tuòs quid tantum protrahis artus?
An' ne etiam, Canis, hæc lento te incedere greſſu
Aula docet? læto nimium prius omnia curſu
Quà tibi fata dabant, ueſtigia ferre ſolebas.
Deſine ueloci poſthac petere alta uolatu,
Atq́ aliquem decerne modum: ſectere quietem
Admonitus, quantumq́ potes uitabis & aulas.
Sic aliquis monuit, cum ſalſe diceret. aſt me
Suſpirans domini conſueta ad tecta recepto
Et miſeros artus uetera inter ſtramina condo.
Hîc me iam morbus decima ſub luce morantem
Et dolor, & gemitus, & feſſæ plurima uitæ
Occupat illuuies, lambendo donec & acri
Officio refici ſperem mihi tergora poſſe,
Et ſolidos iterum reparari in uulnera nexus.
Nec malè ſucceſſit linguæ labor, apta per omnes
Iam coit articulos, & ſe caro carnibus infert.
R. Multa equidem in uita fiunt miſerande, parenti
Inſcribenda deo: cuius diuina uoluntas
Nunc tenues magnis attollit honoribus, inter
Et reſidere patres ſceptroq́ exornat eburno:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Nunc celſos animi motus ſtudijq́ue ſuperbi
Grande ſupercilium, & tumidæ faſtigia mentis
In præceps agit ac humili dat ualle morari.
Multa etiam ſibi quiſq́ue parat: cum maxima ſtulto
Pectore ſectatur, nec ſe pede quiſq́ue ſecundo
Metiri, aut rerum diſquirere tempora poſsit.
Eſt animus curis ita noſter adobrutus, ut ſe
Haud facilè expediat rectosúe inflectat in uſus.
Vſq́ue adeò ſapimus minimum, cum proſpera quiſq́ue
Vel ſibi confingat, uel quæ ſunt ficta, ſequatur.
Nemo equidem uero menſurat facta colore,
Nec rerum formas certos exquirit ad ungues.
Blandimur miſeri nobis: quodq́ue ultima ſecum
Penè pericla uehit, lepidum miramur, & omni
Id gratum uolumus ceu expenſum lance uideri.
Fingimus ingenio columen, nosq́ue eſſe beatos
Ducimus, incertæ ſi forſan uocibus aulæ
Magnatumq́ue etiam ſtudijs recreamur: aluntq́ue
Suſpenſam nobis blandiſsima guttura mentem.
Nemo quidem, meritò quæ ſunt fugienda paueſcit.
Nemo pericla timet. ſcelerata harpya nitenti
Decipit ore bonos, ſimulansq́ue ingentia fallit.
Virgineos pandit, nam cauta eſt beſtia, uultus:
Proſperaq́ue audaci promiſerit omnia dicto.
At uerò tota eſt imum fœdiſsima uentrem
Proluuies: cui nil meritò quod tollere poſsis
Laudibus, inſedit. curuo riget unguis hiatu,
Aſperaq́ue intendit ſubſtrictis uulnera plantis.
Monſtrum horrendum, ingens, cui quot ſunt corpore plumæ
Tot certæ ſubtus mortes, tot ſparſa per imas

Fata

Fata latent pennas: ſeu te fœdiſsima uentris
Occupat illuuies maculisq́; aſpergit amaris:
Cum tua deformi lacerarit facta labello
Stipes, adulator, paraſitus, ganeo, mendax.
Seu cum te manifeſta premens iniuria multis
Artibus inuoluit: rigidos ubi mordeat ungues
Faſtus, & immerita ſubigat te clade Tyrannis.
Hos uerò nexus pedicasq́; incurrere triſtes
Euenit ignaris rerum: qui blanda ſequuti
Fruſtrantur, meritisq́; luunt incommoda pœnis.
Quin etiam genus eſt aliud, quod ſe omnibus ultrò
Ingerit, ac faciles ſibi fricat ad omnia uultus:
Inſipiens ſtultumq́; genus: quodq́; ore petulco
Sæuit, & effreni ſugillat honeſta ſuſurro.
Hos etiam diuiq́; & numina uera peroſi
In pœnas quacunq́; trahunt ratione. uelut te
Aurea ſectantem dominorum tecta potentum
Intulit iſte neci ſparſitq́; cruoribus umber.
Tu gremio quondam ſolitus procumbere noſtro
Subq́; umbris latitare meis, mollisſima ſapè
Ocia captabas: quantumq́; incommoda uelles,
Deuitare etiam poteras, hortosq́; per omnes
Ludendo tete nullis incingere metis.
Quin tibi nonnunquam fallebant tempora blando
Viciniq́; canes & turba celerrima curſu
Obliquansq́; uias ſaltus glomerabat amœnos.
Hinc mihi deliciæ, & primo ſub flore uoluptas
Maxima ſuccreuit: ueſtris latratibus omnes
Oppleri, ac folÿs induci ſenſimus auras.
Non tamen aut horti cultura tenerrima noſtri,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Aut ſocij potuere canes retinere uolentem
In præceps tete ire caput, membriſq; perire.
Sed tamen interea ſæuo dum uulnere corpus
Et tua membra foues uili dimiſſa grabato:
Quæ mentem cura, aut quis deniq; pectora ſenſus
Sollicitat? uarijs animum torquere neceſſe eſt
Motibus hunc, quem tanta tenet preſſura dolorum,
Quem labor exagitat ſubitiſq; è cladibus ambit.
At nuſquàm tranquilla minus, minus æqua quieſcit,
Quàm cum inſperatos mens læta experta dolores
Languet, & hos circum luctus præcordia uoluit.
C. Infandum Roſa caſta iubes renouare laborem,
Quando animi curas, & ineluctabile tempus
Nos meminiſſe uelis dictoq; inducere uulnus.
Præcipuè tamen una mihi uox auribus hæſit,
Vna tacendo monet ſtrepituq; in pectore regnat.
Quam mihi progenies furiarum dira ſequendo
Intonat, atroci dum uulnera noſtra bacillo
Promouet, ac duros intorquet uerbero riſus,
Et meminiſſe uelis huiuſq; ac huius. id unum
Auribus inſonuit ſemper, ſemperq; reuerſum
Pectora mœſta ferit monitiſq; haud mollibus urget.
R. Quis te fœlicem non dixerit eſſe Catelle,
Vulneribus quamuis affectum triſtibus? ô te
Verè etiam, ſi quid poſſint mea uota, beatum:
Vnica ſi trepidam regat hæc ſententia mentem.
Non tibi dira canum rabies, non ſumpta cruento
Corpore pœna poteſt tantum nocuiſſe, monendo
Profuit hic quantum, iaculo qui terga ſecutus
Tundit, & hoc tali cumulabat uulnera dicto.

Doctrina

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Doctrinæ pretio ſuperant, interq́ parentis
Munera ſiderei primos operantur honores:
Ignaraſq́ docent meliora capeſcere mentes.
Hoc opus hic labor eſt, te poſſe monentibus aures
Præbere, ac firmis animum ſubmittere dictis.
Multi equidem interea, dum res premit ardua, parent
Deponuntq́ etiam criſtas fatumq́ ſequuntur.
At cum dedoluit noxæ labor, effera rurſus
Mens uitam exagitat, rapidoſq́ feruntur in ignes.
His equidem exitio meditantur funera pœnæ
Et funeſta trahunt miſeros in uulnera lapſus.
Atqui ego nil aliud doceam: ſententia noſtris
Illa etiam monitis tibi commendata laboret
Tecum, & perpetuò ſtudijs ſeruetur honeſtis.
Sic neq́ cæleſtes, hominum neq́ lingua uolenti
Suaſerit ut dubijs ſectere euentibus aulam,
Incertamq́ fidem certam tibi reddere tentes.
Nil ſtulto pœna melius, cum ſcilicet æqua
Caſtigat deus acta manu, paulumq́ ſuperbos
Inſanoſq́ animi motus, & inepta retundit
Conſilia, ac intra cancellos pectora ſtringit:
Vt ſapiant monitis ſuſpectaq́ blandula ducant.
Stulticia eſt, quod non poteris comprendere, uelle
Prendere. Dij rebus metam poſuere. manendo
Manſerit, ac certos firmat prudentia fines.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

COLLOQVIVM II.

Mendacis eſſe dura linguæ præmia.

ESCVLVS. SAMBVCVS.

E. Hic iuuat excelſis me ludere frondibus: alto
Interea phœbus dum uoluitur acer olympo,
Et ſimul inuectos diſpenſant aſtra calores.
Cui non flammiferi uolupe eſt nitidiſsima Solis
Lumina, & æthereo properantis in orbe tueri:
Hunc equidem cœlo ingratum, & ſine ſenſibus eſſe
Dixeris, ac nulla rerum uirtute moueri.
Aut quid Leandrum niſi nox obſcura natantem
Perdidit, atroci cum tempeſtate prehenſus
Aduerſos perdit quos Seſtias explicet ignes?
Optima res tempus: ſed temporis optima pars eſt
Alma dies: quæ quò ſuccedit mollior aura
Et minus enormi uentorum mole laborat:
Hoc mage profuerit leuibus mitiſsima plantis,
Multiplicatq; comas uireſq; in uiſcera mittit,
Mox ego uitales, innataq; ſemina, motus,
Et quem cuiq; etiam tribuit natura calorem
Occultaſq; uices, formæq; inſignia laudo.
Sunt quædam ſtudijs naturæ ac uiribus atræ,
Res quibus æqua fuit ſtygias celebrare tenebras
Et caligantem ſuper omnia ponere mundum.
Improba quæ multos ratio trahit. ille parandis
Nequitijs ſtudet: hic furto lætatur inani,

Hic

Hic ſecors deſesq́ cubat gelidoq́ ſopori
Seruit, & extenſas ſcelerum petit anchora noctes.
Hos præter genus eſt aliud, deforme, malignum
Atq; orci ſoboles, ſæuáue è Tygride natum:
Sed blandum linguaq́ adigens in funera uitas,
Explorare domos cautum, ſtudijq́ latentis
Eruere articulos, peregrinaq́ facta tueri:
Ore iuuans, animoq́ nocens. cui, quicquid ubiq; eſt
Quod rectum ſanctumq́ uoces, inferre tenebris
Eſt ratio, ac Charitas ſcelerato diſſipat auſu.
Quam Phœbus turbam & naturæ monſtra peroſus
Sedibus expellit ſuperis: uelut illa uiciſſim
Indignata deos & cœlica lumina temnit
Inſipiens, qua non aliud truculentius orbi
Aut fati ſeries dedit, aut uindicta Tonantis.
Has furias peſtesq́ hominum, ſtygiæq́ paludis
Germina uitarit, ſi quis fortaſſè monenti
Pareat, ac ueros animum conſeruet in uſus.
Interea fas ſit plantis florere, nihilq́
Hos metuiſſe canes: rabido qui uulnera morſu
Ingerere, & tacitis pandunt latratibus iras.
Nos etiam cum non turbantia flamina uellant,
Dicimur eſſe Iouis magni tutela. faceſſat
Hanc cœlo quiſquis uitam cuſtode negarit
Ducier, aut celſas non mitti ex æthere frondes.
Sanè ego fœlices cupio ſupereſſe labori
Agricolas. genus hoc aliquid fortaſſe uetuſti
Seruat adhuc mundi, cum rem ratione modoq́
Augeat, ac æqua cumulet ſua lucra bilance.
S. *Lætos læta iuuant. & te quia proſpera cingunt,*

Altius inſurgis, ramosq́ euoluere certas.
Nos contra triſtes & caſſæ Solibus umbræ
Excipiunt, uarijq́ grauant ſubigunt dolores,
Et mihi multiplices peperit Rhamnuſia luctus.
Atræ igitur circum regnant mihi pectora curæ,
Atq; atris delector. ineſt ſua fama colori
Atq; animi formas externa hæc facta ſequuntur.
En ſobolem toto circum mihi corpore paſsim
Confractasq́ iacere comas. nox occupet umbris
Denſa precor, noſtrisq́ ferat ſolatia rebus.
Iſta uoluptati prima eſt uia, poſſe latere
Si te aduerſa premant: quòd uix ſint æqua dolenti
Multa etiam, quæ fas ſtudijs foret æqua uideri
Et tibi conſilijs tantum lenire dolorem.
Nigram hyemi pecudem, zephyris fœlicibus albam
Sacrifico ſoboles quondam dedit aurea ritu.
Quid prohibet quod cuiq; placet celebrare? bonorum
Materies contempta iacet: mala plurima latè
Imperium exercent plenoq́ ex ordine regnant.
Alba decent rectos: ſed ſi toga pulla daretur
Nequitijs, niueum iam ferrent nulla colorem.
Multa etiam præter ueniunt ſpem: multa repentè
Accidere, & tenui poterint exiſtere caſu.
Quisúe omnes fati numeros, quisúe omne Tonantis
Conſilium extulerit, rerumq́ euentibus addat?
Quid ſi aliquando tuas etiam fortuna Deusúe
Experiatur opes excelſaq́ robora tentet?
Haud ſemper, quæ ſumma, uirent: ſternuntur, aguntur,
Et ſemel in uita pullam acceptaſſe neceſſe eſt.
E. *Vt placeat quodcunq; dijs, ita ſenſibus iſtud*

Poſſe

Poſſe putes placuiſſe meis. ego noſtra ſacraui
Omnia cœlicolis: ſupero ſum cura Tonanti,
Is mihi quodcunq; hoc uitæ eſt & fata gubernet.
At uerò nimium deformi uulnere tandem
Dilacerata iaces. Quis te malus error agebat,
Aut quo tanta tibi uenere pericula motu?
S. Vnde mihi ueniant? Domini proſtrata ſecuri
Vellor: is è toto remouet mea uiſcera trunco.
Effreni motus cum fortè accederet ira,
Impius hanc ſyluam, quæ toto plurima circum
Aggere lapſa iacet, librato in ſydera ferro
Strauit, & euulſam radicibus obijcit igni.
E. Quid tantiſper hero bilem commouerit: ut te
Candida florentem totis exſcindat ab hortis,
Nec malè promeritam, tanto tamen impete ſternat?
Vidi ego te niueo cum legerit ipſe caniſtro
Intuleritq; oculos calathis: quo tempore flores
Vſibus ac precio non inſcripſiſſet inani.
S. Neſcio per ſuperos dryadumq; hæc regna ſororum:
Nec ſatis id fas ſcire mihi: niſi forſitan ipſo
Pendeat è cœlo qui Terminus omnia certos
Digerit in numeros uitæq; repagula nexu
Contrahit, ac totum ſub legibus implicat orbem.
Aut fortaſſe uetus (ceu prodit fama) ſeneſcit
Gratia, & officijs decedunt præmia noſtris:
Cum Dominos etiam iam multa licentia fœdis
Obijciat ſtudijs, animiq; proteruia regnet.
Sed tamen & cauſas proſtrati germinis haſce
Tete noſſe uelim. fœlix uiolentia quoduis
Penè nefas ſubitis uicinum cladibus audet.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Connectenda fuit ducendis machina rebus,
Ardua, firma, recens & lapſibus æqua mouendis:
Machina ſollicitis fabricanda laboribus. huius
Vt paſſim quærit diuerſo ligna recurſu
Ingreditur noſtros etiam malè ſanus in hortos
Et quæcunq; poteſt rigida ſecat apta ſecuri.
Fortè manu quoddam, triſti quod ſemine natum
Creuerat exitio multis, mirabile lignum
Geſſit: & huic quærit parili quòd linea & uſu
Iungier, ac fido committi ſegmine poſſet.
Repperit ut nullum, tum uoce ſilentia rumpens
Inclamat, quo nunc mea cura exceſſit & omne
Dij ſtudium? tantum'ne operum, tantum'ne laborum
Perdidimus? nihil ex omni mihi deniq; reſtet
Materia, noſtris quod ſeruiat uſibus, & ſe
Huic æquet ligno, parileſq; aſpiret in anſas?
Vt nihil eſt homini officijs ſe uelle mereri
Ingratos? natura bonos ſubducit ab æuo,
Inuida tota malos & inutile quodq; relinquit.
Mœſta quidem domini uoces altaſq; querelas
Accipio. Sed enim cum protinus omnia ſpecto,
Huc, inquam, accedas: tibi nos quæ robora quæris
Offerimus. capit ille oculis formamq; modumq;
Accurritq; ſimul; nec plura effatus ad omnes
Applicat articulos. latera aſt ubi iuncta coire
Senſit, & æquato connecti ex ordine poſſe:
Inuadit ferro corpus, libratq; bipennem
Et mihi de toto primum ſecat agmine ramum:
Atq; abit: innectitq; trabes atq; uſibus aptat,
Lætatus: ceu re iam ſuccedente quòd inde

E proprijs

E' proprijs capiat quæ quærit idonea regnis.
Sicut at humanæ ſunt res, nihil eſſe beatum
Omni ex parte poteſt. Succedit prima labori
Machina, contendunt neruis, humeriſq; ſubibant,
Inſertoſq; trahunt loca per ſicciſsima funes.
Ecce autem ſubito reſoluta eſt machina lapſu,
Pondere quaſſa graui. tum me, quia frangier ipſo
Contigit impulſu, accuſant, tantæq; ruinæ
Inſimulant, noſtroſq; arceſſunt criminis artus,
Et de me, fuerint quòd cætera fracta queruntur.
Hîc herus inſano ſimilis, ceu percitus œſtro
Intumuit, famuloſq; iubet ſuccidere ſacrum
Robur, & in noſtros decernit atrocia ramos.
At uerò iſta diu ſuſpendit turba periclum,
Horreſcitq; animis refugitq; capeſcere iuſſa:
Quod ueterum fama radicibus addita noſtris
Numina ſint, habitentq; imis ſociata medullis,
Nec uiolare deas, aut pellere ſedibus audent.
Aſt ubi cunctantes horreſcere dura miniſtros
Vidit, in hæc rapta prorupit uerba ſecuri:
Siue Dij hîc habitant, ſeu ſubſunt numina trunco:
Iam proſtrata ſolum frondente cacumine tanget.
Nec mora præcipiti me falce inuadit, & altam
Sternit humi ſobolem, noſq; à radice reuellit,
Ingeminans: neq; te mendacibus altera linguis
Aemula ſectetur, neq; tu lætabere facto.
Hæc mihi ſumma mali ratio eſt, hæc unica tanti
Exitij labes. facile eſt ſæuire Tyrannos,
Si libeat. parua eſt quæ bilem cauſa profanis
Mouerit, ac ſubitos in pectora ſuſcitet ignes.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Qui uera ingenij præſtat bonitate, miſertus
Errato ueniam donat, nec cætera mentis
Signa bonæ tenui patitur liueſcere culpa.
E. *Rectè equidem Sambuce potes dixiſſe uideri,*
Nec tua me poterint reprendi dicta magiſtro.
Hoc culpanda tamen, fragili cum robore perſtes.
Te tamen eximias cupias fortaſsis haberi
Inter, & ingenti captes tibi nomen ab uſu.
Gloria mendaci non conſtat uera labello,
Ardua nec tenui fulcitur arundine uirtus.
Vera loqui, res ſumma bonis: ſeu corpore durant
Forſitan imbelli, ſeu plenis uiribus extant.
S. *Nulla mihi Dominum ſubitis inducere damnis*
Mens fuit. obſequium fas ſit præſtare, fuiſſet
Idq́ utinam, teneras & haberent uiſcera frondes.
E. *Attamen ingentem cladem durumq́ periclum*
Hîc experta, gemis. Quòd ſi tibi parua locutæ
Nec damnoſa nimis tantus deſæuiat ignis,
Pœnaq́ tanta manet: ſoboli uirgulta futuræ
Vt uix ulla ſuper tibi ſint: quid quæſo putabis
His eventurum, magno qui fallere lucro
Et mercede ſolent? uero res cœlica plaudit,
Omnia mendacis faſtidit munera linguæ.
Nec quicquam ulciſci grauius dant numina. an illam
Quæ noſtras Muſtela domos & tecta frequentat,
Noſti etiam? molles fuit inter amata puellas
Illa diu, & nimium ſpecie formoſa placebat.
Sed quia mendaci Lucinam uoce fefellit,
Perdidit humanam à ſuperis conuerſa figuram,
Hancq́ capit, qua nunc ſerpentibus aſpera, uirus

Edomat,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Edomat, & ſolitis propulſat noxia tectis.
Quoq; etiam ficto mendacia ſparſerat ore,
Ore parit, geminatq; malum portatq; dolores
Et ſobolem aſsiduo transfert timidiſsima motu.
Deniq; quicquid habet ſcelerumq; ac criminis orbis,
Quicquid ubiq; manet, prauum quod dicere poſsis:
Ardelio clauſum mendaci uerſat in ore.
Ille ſerit lites, opprobria ſeminat, ædes
Suffodit alterius: diſcordes efficit alma
Coniunctos uirtute prius: blanditur amaro
Felle ſatur, quantumq; poteſt noua iurgia ſemper
Conſuit, ac humili tumulo producit olympum.
Detrahit abſenti quod in os laudauerit: auget
Suſpicione malum: qui ſicut & hoſpita telam
Texit, & arte leues comprendit aranea muſcas:
Sic mendax omni ſuſpendit retia fuco
Connectitq; dolos & cædibus implicat urbes.
Delet amicitias, odijs ſua ſemina ſternit,
Et malè ſopitos iterum face ſuſcitat ignes.
Hæc eſt iſta feri ſoboles phlegethontis, & orci
Filia, quæ quicquid ſcelerato mundus in uſu
Expauet, horribili perfectum lumine reddit.
In cœlos etiam quin falſæ crimina linguæ
Vibrat, & effreni cumulat blaſphema ſuſurro:
Hoc luimus, quodcunq; mali patiamur in orbe.
Nequitijs ſedenim non longa potentia durat,
Nec ſolidos iactant mendacia fœda triumphos.
Eſt uindex ſcelerum Deus, & grauis ultio, cuius
Sæuit in inuiſos Nemeſis iuſtiſsima porcos:
Pœnaq; quantumuis pauliſper ceſſet, eamq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Rideat interdum ſcelerati miles auerni:
Greſsibus illa tamen, tardis licet aduolat: & ſe
Quòd lentè properet, cumulatis cladibus auget.
Quin ipſos uideas mendacis triſtia linguæ
Pendere damna malos, ut quo ſcelus ore patrarint
Hoc tormenta luant, & ſera piacula ſoluant.
Quiſquis & aſſueuit conſtanti uera labello
Dicere: quantumuis paulùm fortuna prematur,
Egregiè tandem uincet tamen. aſſerit omnem
Virtutem Deus & meritæ dat præmia laudi.

COLLOQVIVM III.

Quemq; ad bona fato
ducier.

POPVLVS. SALIX.

P. Fata regunt orbem. fato conceſſeris, ut te
Et decoret uirtus, & gloria uera ſequatur.
S. Fata regunt orbem. ſed enim cum maxima uirtus
Pectoribus proprijs & cura domeſtica regnat,
Præcipuos inter fœlicem fecerit. ut ſe
Quiſq; ſuæ ſtudijs naturæ accommodat: hunc ſic
Quod ſummum uitæ precium ſit & optima merces
Accepiſſe putem, nec inani laude potiri.
Vltima quemq; beant finisq; & meta laborum:
Huc animi tendunt, huc ſe mens prouida tandem
Ceu decertata rerum uice ſenſibus infert:
Hæc extrema quies, hæc eſt medicina dolorum.
P. Multa ſed hoc tenui rerum complexa uidere

Circuitu.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Circuitu. uera eſt conceptæ forma loquelæ,
Vltima uirtuti ſi ſic iungantur: ut iſta
Non aliter ſolo data quàm fatearis olympo:
Quo ſine nec uirtus exiſtit, & omnis ubiq;
Mens languet, nuſquam'ue etiam perfecta laborat.
S. Atqui ego iam pridem proceri corporis umbras
Latè etiam pando, & circum mea brachia uerſo.
Teq; adeò celſæ ſurgentem frondis honore
Aemulor, ac ſimili folium lanugine condo.
Hæc mihi diuinæ ſubmittunt pectora uires
Naturæq; opus & ſubeuntis copia ſucci,
Quo uegetas etiam diffundo in brachia frondes.
P. Quis uerò humorem? quæ tanta potentia ſuccum,
Quæ gratum uitæ ſubſternit cauſa liquorem?
S. Vnde equidem ueniant? primos natura receſſus
Molita eſt, & aquas ſecreta condit in aluo.
Hinc ſibi depromit radix quodcunq; neceſſe eſt
Depromptumq; meos iterum tranſmittit in artus:
Luxurioq; comis, ramisq; in ſydera tendo,
Atq; alias præ me ſalices contemno. uoluptas
Hæc mihi prima ſiet, quòd te iam frondibus altam
Deſpicere, & dictis mordere procacibus auſim.
P. Inuiſum ſuperis genus & crudele, minores
Spernit, & ad ſummos temerè molitur honores.
Huc te te impellit naturæ liuor, ab alto
Quæ penitus cœlo nihil accipit. omnia diuos
Quæ bona ſunt, tribuiſſe ſcias: huc fata poliq;
Ducit opus, totaq; animum ratione perurget:
Et meliora Deus lucemq; ſequacibus addit.
Quicquid habes, meritò laudare quòd efferа poſſis,

Et folium, & frondes, & lenta cacumina, flores
Candentesq́ comas albæq́ uolumina ſpumæ,
Et deſiccantes emplaſtra per optima uires:
Acceptum cœlo referas. Si deniq́ proſis
Vtilitate: equidem fato te ducier audi,
Et tua ſidereo ſuccedere commoda regno.
Si noceas, aliunde uenit quo lædere dura
Et nocuiſſe queas. ſi tete anus applicet aræ
Carminibusq́ liget dirisúe aſtringat amaris,
Vt noceas: ſupero nihil hîc famularis olympo,
Nec tua cœleſti coguntur ſemina mundo.
Forſitan inuideas aliorum perfida laudi,
Aſperiusq́ feras ſi quæ ſuccreſcere poſſint
Altius, & merito Salices te uincere motu:
Hîc tibi nequicquàm fatorum linea ſeruit,
Nil tibi ſyderei nexus, nil ianua cœli,
Nil Iouis arbitrium, nil mens æterna laborat.
Si te fata trahunt, te prorſus ad optima ducunt.

S. At uerò pœnas, generisq́ pericula noſtri
Quis neſcit? cui non comperta eſt maxima uitæ
Clades, & ſubiti nonnunquàm in uulnera caſus?
Tangimur æthereis aliquando caloribus: hîc me
Obruit audaci ſcelerum manus æmula ferro,
Subuertitq́ comas ſubigitq́ cacumina morti.
Hæſerunt tenues curuata in brachia rami:
Inclinant paulùm ſe uiſcera tota, iacetúe
Obliquum latus, aut deformi cortice languet,
Deniq́ uel ſciſſura premit, uel ſylua parumper
Luxurians grauat, ac odijs obiectat acerbis.
Protinus exitium meditatur ruſticus, & me

Vel

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Vel totam certè, mediam uel falce reuellit.
Hæc patimur, quamuis fato peccamus, & omnes
Trudimur in nodos incuruaq́; membra feramus.
P. *Non fato peccas, ſed fato plecteris. an non*
Stipitis egregij ſemen ſortita, ſub auras
Rectior & cœli ſupera ad faſtigia ſcandas?
At cùm inclinato libeat tibi ſerpere tractu,
Deformesq́; comas & ineptos ferre ſtolones
Haud ceſſes: equidem dominus quod inutile ducat
Iure etiam abſtulerit, ramosq́; exſcindat inanes,
Ceu pœna afficiens, quòd non quæ recta ſequare:
Vt tibi uicino quæ margine creſcit. an illam
Non latè florere uides? ita cannabis inſtar
Luxuriat rectis æquata in uiſcera ramis.
Huic igitur parcit: quæ frondibus augeat umbram,
Et uetet hæc faciles graſſari in culmina uentos.
Scrupea tu tota es curuisq́; obnoxia nodis
Nil uirtutis habens. quapropter corpora pœnis
Obijcit, & meritò tete caſtigat inertem:
Idq́; etiam fato. ne quid dubitaueris omnem
È cœlo pœnam facta in deformia reddi.
S. *Nec tamen id uideo, fieri quo iudice poßit,*
Vt cum non peccem, tolerem tamen ultima fato
Supplicia, & tales ſtatuant mihi numina pœnas?
P. *Id tamen & uideas, ſi tete aſpexeris ecquid*
Non uolupe eſt diuis animo parere: nihilq́;
Aduerſum ſupero committere quemq́; Tonanti?
Si pares, fato pares: & legibus alti
Accedis cœli, teq́; in tua commoda mittis.
Si ſecus inducas animum pellasq́; parentem

Sidereum, ut quò te rapiat tua flamma ſequare:
Iam metuiſſe potes duraſq́ horreſcere pœnas.
Fato etenim incumbunt: cum cœlica numina pœnis
Virtutes uallent, & pœnis crimina penſent.
Id fatur Deus: at prohibet peccare. nihilq́
Diuinas contra decernunt ſidera leges.

S. Nec fato peccare homines, genus acre uirorum,
Quos tamen & conſtat non pauca aduerſa Tonanti
Moliri, & ſtudijs quæ non ſunt recta tueri?

P. Nec fato peccare putes: nec fallere cœlum
Poſſe aliquem aut pœnæ uitare hæc triſtia credas.
Stulticia & fœdis animorum motibus ardent
Humanæ gentes. impulſæ hoc hoſpite latè
Delinquunt, miſereq́ ruunt, & turpiter errant.
Cœlitus at pœnæ ueniunt, res utilis æuo,
Si non te monitus ad recta inflectere poſſunt.
At cuius miſeret diuos: quem ſacra receptant
Numina, cum errantis condonant facta iuuentæ:
Hic fœlix fruitur ſuperis. Dij proſpera ſoli
Vt tribuunt, pœnas ita ſoli in crimina reddunt.

COLLOQVIVM IIII.

Secreta ſtultos prodere.

NOCTVA. PICA.

N. Nouimus iſta tuæ quæ ſit petulantia linguæ
Pica loquax. magno quamuis iam garrula damno
Sis affecta: tamen nuſquam ceſſaueris atro

Quæ

Quæ reticenda forent uulgare procaciter ore.
P. *Quid tibi per ſuperos & auerni limina regni*
Noctua, quid tandem naſo tibi quæris adunco,
Quidúe proterua petis? morem mihi dira relinquas
Quem ſequor, & noſtris faueas ſtupidiſſima uerbis.
N. *Haud malè te uario pinxit natura colore*
Et uarias circum ſparſit tibi corpora pennas.
Sic, ut cùm ſummo ſis tergore candida: pullæ
Veſte tamen rictus, & pectora inania ueles.
Hæc te forma decet quæ Prothea moribus æquas
Inſidÿsq́; uales: ſeu captas plurima, ſeu quæ
Sunt commiſſa, leui prodis ſecreta labello.
Garrulitas equidem toti tua cognita mundo
Haud dubiam multis diuerſa per oppida cladem
Intulit. hæc etiam te inuiſam fama colonis
Iampridem dedit, & totis tete urbibus arcet.
P. *At quid delicias magnorum & blanda uirorum*
Acta putas? equidem his uolupe eſt garritibus ora
Præbere, & noſtris aduertere ſaltibus aures.
N. *Et magnis uolupe eſt conſueſcere: dummodo magnos*
Quos uocitas, etiam ſapientes dicere poſſis.
Iratus nec enim quicquam dat Iuppiter orbi
Deterius, celſos quàm cum quis adeptus honores
Magnificis etiam titulis excellit, & alto
Eminet Imperio: cuius tamen æqua ſagaci
Mens caret ingenio, nec habet Sapientia laudem.
An ne Magiſtratum mundo rem dixeris eſſe
Præcipuam? nihil hoc ſuperi dant maius. at illum
Si leuitas, ſi famoſæ petulantia linguæ,
Dirarumq́; uſus, ſcelerumq́; licentia uilem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Arguat, aut tali non dignum oſtendat honore:
An' ne putas miſeris tum diram gentibus eſſe
Obtruſam irato peſtem Ioue, numina cuius
Læſa decet fœda populorum ſtrage piari?
Sed uincit quodcunq; malum, quoſcunque furores:
Quæ ſecreta ſient patulas proferre ſub auras.
Omnia uictor agit rerum momenta, labello
Qui potis eſt fido, quæ ſunt commiſſa, tueri.
Hunc diui, hunc homines, hunc pacta fideſq́; coronant.
Cumq́; ea uirtutum ſit maxima: prorſus ineptos
Stulticiæq́; notis cumulatos dicere poſſis,
Quos iuuat inſano ſecreta recludere dicto.
Nec tamen & fieri nequeat, quin multa loquendo
Multa etiam prodas. ſtrepitu iam pica ſuperbo
Garrituq́; etiam ſuſpecta uolucribus eſſe
His equidem noſtris potes atq; exoſa uideri.
Tete Aquilæ fugiunt, te picti colla Palumbes,
Te ſpernunt Cygni, tete auerſantur Alaudæ.
Deniq; non uolucres tantum: generoſa Leonum
Agmina te uitant, herbæq́; ac lilia damnant.
Vtq́; etiam reliquis magno te fœdere iungi
Eueniat, noſtros credas tamen inter haberi
Non te poſſe greges, aut carpere commoda poſſe.
Vt ſecreta lupos magnis natura caballis
Separat, utq́; necant ieiunos ſputa colubros:
Cæſia clamantes fugitat ſic Noctua picas,
Et deuitato damnat tua facta uolatu.
P. *Quid moror inuiſæ ſi non placuiſſe Mineruæ*
Libera lingua queat? ſatis eſt placuiſſe furenti
Obſequium Baccho, qui quantum in pocla feratur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Tantum etiam ſtrepitu diriſq; caloribus audet.
Hunc oblecto Deum,qui quòd mihi læta ſecundet:
Moribus è noſtris ſecreta negocia diſcit.
Deniq; multiplici lucemq; diemq; uolatu,
Flexibus & uarijs adiuncta palatia luſtro.
Tum mihi iampridem populi ſententia conſtat,
Qui noſtros morſu lacerat malè ſanus honores,
Atq; moleſtè etiam mihi fert hanc creſcere laudem.
Nónne uides quantis equitando applauſibus utor:
Cum me inſidentem poteris ſpectare caballis,
Vel premere impuri rigidiſsima tergora porci?
Namq; his utor equis,medio cum libera campo
Luxurians gratas inter feror alita uolucres.
Tu quanta & quanta es,mera es ſapientia: ſiue
Nocte uoles,ſeu te latitantem luce recondas.
Et tamen inuiſam damnant te lumina:damnat
Alituum genus,& toto te pellit olympo:
Conſcia funeſtæ quòd ſis tibi mentis,& intus
Iudice non falſo ſcelus exagiteris Erinni.
N. *Res equidem fœda eſt incompta licentia linguæ,*
Quam pudor officio nullus tenet. Illa malignis
Fructibus aucta uenit,ſemperq; accenſa procaci
Igne furit miſcetq; dolos,mendacia ſpargit,
Et malè conſutum meliori crimen inurit.
Non ego me gratæ, quòd ſim mala,ſubtraho luci,
Conſcia nec miſeræ condunt ſe pectora culpæ.
Garrula ſed cum ſis atq; improba uocibus,& te
Cætera turba leui ſtrepitantem more ſequatur:
Iccirco abſtruſis ſyluarum tuta cauernis
Luce tegor,noſtroſúe abſcondunt templa receſſus

Meq; adeo inuiſa quantum licet aufero pugna.
Triſtia non unquàm cordi mihi bella fuerunt,
Aſpera nec placuit ſtudijs contentio noſtris:
Qualia diuinas inter mala multa uolucres
Spargitis, & turpi conflatis iurgia rictu.
Hinc tot garritus, tot ineptæ murmura linguæ,
Illita uerba dolo, & ſtultæ conamina uocis:
Hinc tot clamorum fluctus: tot & aucta procellis
Scommata, tot nigri laxata repagula roſtri,
Et diuturna fluunt noſtris certamina regnis.
Quos ego nonnunquàm motus è turribus altis
Aſpicio, & fœdos deteſtor pectoris ignes:
Vt cum uos uitæ iunxit communis & æui
Conditio, prorſus tamen abſint fœdera uerbis,
Et nihil, ingenuum quod dixeris eſſe, colatis.
Aeolus ingentes patefacto ut ſæuus ab antro
Cum laxat uentos, aut tempeſtatibus omnes
Turbat aquas, circumq; fremunt circumq; feruntur.
Mutuaq; inſano lacerant ſe flamina pulſu.
Haud aliter uoces odijq; immanis acerbas
Exercet genus alituum: cum uiſcera morſu
Appetit alterius, quæcunq; in bella procaci
Lingua armata ruit, fraternaq; fœdera rumpit.
Sic uenti uentos pellunt, ſic unda per undas
Tranſilit, ac grandes tollunt ſpiramina fluctus.
Aſt ego diuinæ pulcherrima ſemina pacis
Et monumenta colo. nihil hac pia fata colonis
Vtilius tribuunt. quid enim? pax optima rerum
Quas miſero donant cœleſtia ſidera mundo.
Hanc ego ſupremis dignabor honoribus. at te

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Propterea uito, quòd nil niſi iurgia noris:
Accendaſq; alias in mutua damna uolucres.
Garrulitas infame malum, quo fœdera ſolui,
Quo uiolari urbes, quo tolli iura neceſſe eſt.
Quòd ſi futilitas non te inſigniret, haberes
Præcipua hæc cunctas inter tua dona uolantes.
Vſq; adeò excellis motuq; & ſaltibus: & te
Promptius humanas certum eſt apprendere uoces.
Tum uerò ne quid deſit tibi lubrica, coruos
Corniceſq; colis: quorum petulantia linguæ
Perſimiles uitæ caſuſq; & uincula duxit.
Vtraq;, quod minimè decuit, ſecreta reuelat
Et meritas ſumpſit mutato corpore pœnas.
At uerò optandum oppreſſis mortalibus eſſet,
Aut numen ſacræ metuendaq; iura Mineruæ,
Aut genus hoc inter rigidam ſupereſſe Dianam
Mercuriumúe Deum, quæ maxima numina, celſo
Et uicina Ioui, falſoſq; uafroſq; doliſq;
Imbutos meritas peregrina in corpora formas,
Et laruas ueros in uultus uertere poſſent.
Dij, fœdis quantum porcis accederet. aut quid
Dira Lycaonij memorem tibi pignora monſtri,
Cum iam nulla Lupos neſciret ſylua? quid Vrſos
Aſtutaſq; uelim uulpes proferre? quid altè
Tendentes Aquilas? aut ſæuis unguibus addam
Accipitres? Sed enim uanæ tibi maxima Picæ
Turba foret: ſtolido tantum leuitatis in orbe eſt.
Aut quanto ſociam cumularet Simia gentem
Acceſſu? quos non horrerent arua Leones?
Noctua ſola quidem nullos habitura ſodales

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Incoleret celſas tenebris obnoxia turres,
Aedibus & tutela ſacris de nocte uolaret
Excubiasq́; agat, & populis uentura recludat.
P. *Tu tibi quod libeat ſapias; ego præmia uitæ*
Hæc mihi ſumma putem, ſi te contemnere poßim:
Et ſaliam magnos inter laudata Caballos.
N. *Vt me contemnas, æquum eſt: quæ prorſus & ipſa*
Te fugio, quantumq́; licet tua perfida uito
Pectora. Dij falſis quæ ſunt ſua præmia reddant.
Nil homini melius, totiúe decentius orbi,
Aut ſuperos dare poſſe deos, aut pectora credas
Concipere: ingenua quàm ſi quis mente tueri
Quæ commiſſa ſient, reticereq́; tradita poßit.
Huic ſeſe tutis concredere legibus audent,
Quos uel dura premit miſeros iniuria ciues,
Vel ſubitæ clades, aut plurima triſtia uoluunt.
Is ueluti mundo Deus eſt portusq́; ſalutis,
In quem ſe gelido laſſatus gurgite tandem,
Anchoram & ad fidam compulſus, Nauta receptat.
Hunc Deus, hunc homines uirtusq́; æterna coronat.

COLLOQVIVM V.

Quæ magna ſunt decere facta maximos.

VRSVS. LEO.

V. *IRa laboriferas nonnunquàm feruida cogit*
Formicas, ut ſe ſumptis ulciſcier armis
Agmina denſa uelint, ſi quid fortaſſe ferentes

Grana

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Grana premat, uigileſúe aliqua ratione moleſtet.
Ira apibus magna eſt, ſeq; in ſua uulnera denſo
Succendunt fremitu, primiſq; furoribus inſtant:
Vt ſeſe antiqua ſub libertate tueri,
Et procul alueolis arcere pericula poſſint.
Deniq; quis neſcit quantas rapiantur in iras
Exiguæ corpus uolucres, quæ prælia, quantas
Interdum pugnas adeunt, quæ funera flammis
Perficere, & quantos properant in uulnera morſus?
Aſpice quo, argutam cum ſtruxit aranea telam,
Robore nituntur perrumpere retia muſcæ?
Quid culices memorem, qui quòd lædantur ab atro
Interdum fumo, tectis excedere: nec ſe
Implicitos ſæuo patiuntur ab hoſte teneri?
Vtq; tibi rerum quæ ſint certamina dicam,
Nil ita corporibus tenue eſt formaúe ſoluta
Abiectum, cui non pro libertate paciſci
Cura ſit, aut triſtes abrumpere morte querelas.
At ſolum cum te patienter adacta ferentem
Sentio, nec quicquam moliri in uincla Leonem:
Te certè miror: cui cum ſint corpore uires
Conſilijq; ſatis robuſtaq; pectora facto:
Te tamen incluſum leuibus patiare teneri
Cancellis, tenueſq; ferant tua tergora clatros.
At ſimili noſtros cauea ſi claudier artus
Accideret: non me ſimilis patientia uinctum
Nec leuis hæc domitum uinclorum forma teneret.
Effractis ſiquidem clatris nexuq; ſoluto,
Amiſſos ueteris mihi libertatis honores
Aſſererem, & patulas prodirem rurſus in auras.

Certè equidem ſi quis preſſantibus ora lupatis
Induat, ac duros ſibi uincla admittat in uſus:
Haud ſapit: haud illum clari genuere parentes,
Nec ſatis hunc animo conſtare in facta neceſſe eſt.
L. *Si quantum naſi, tantum quoq; mentis haberes*
Informis naturæ opus & fœdiſsima moles,
Parcius iſta bonis nunc obijcienda putares.
Vt cuiq; eſt animus uitijs impurior, hoc uel
Suſpicione magis quæ ſunt optanda grauarit,
Vel fugienda uelit rectoq; aduerſa ſequatur.
Cumq; ſit ipſe malus, quæ ſunt mala ſuaſerit: uni
Huic ſtudio uacat & crimen de crimine gignit.
Aut quorſum nunc Vrſe tibi tua dicta putaris
Tendere? quid tantis uerborum ambagibus urges?
Scilicet ipſe tibi ſis æquus ut arbiter: eſſe
Ingenijs occulta tuis quæ maxima damnet
Flagitia, æternos cumulat quæ ſeria quæſtus
Et ſtatuit iuſtas meritis Rhamnuſia pœnas.
Namq; tibi ut ſtudio ſunt pectora fœta procaci,
Virus & ingenio latet exitiale, moleſtam
Sic ſcabiem affricas alijs, quodq; improbus ipſe
Hîc faceres, alios etiam feciſſe probares.
Deſine de ueſtro metiri more Leones,
Et mea tam fœdo ſubuertere iura magiſtro.
Quòd ſi me quondam ſobolem pater, Vrſe, tuliſſet
Is quoq;, quo tete ſolitus iactare creatum,
Informiq; rudiq; & inepta pelle ſuperbum,
Hercule non aliud ſaperem: ſed dicta ſecutus
Hæc tua, præſtantis naturæ ſemina uili
Infauſtoq; etiam macularem uicta lucello.

Quid

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Quid uerò niſi te uerſutum dicere poſſum
Nequitiæq́; ſcobem ſtolidæq́; informe parentis
Et monſtrum parientis opus: cui pectora, uilli
Tergora, crura, pedes, & ſi qua latentia ſubſunt
Viſcera, ſub fœdis rigeant tibi condita lumbis?
Quidúe armo gibbos, curuo quid tubera dorſo
Exporrecta feram? quis non tibi riſerit iſtos
Inſulſos planè curſus, gemitusq́; frequentes:
Tu quibus inuiſæ teſtaris pondera uitæ
Et miſerum tete eſſe probas, quem quicquid ubiq́; eſt
Aut fugit, aut ſaltem poterit fugiſſe uideri?
Tete execrantur ſpoliantem mella coloni,
Sternentemq́; boues, paſtos ubi matribus hœdos
Nonnunquàm in medijs aufers ſceleratior aruis
Et procul in caueas ſecretaq́; luſtra recondis.
Aut prædam exerces: aut tetra cadauera fœdus
Inuadis, lacerasq́; graui manantia tabo
Corpora, & exangues depaſceris impiger armos.
Vſq; adeò obſcœnis natura indulſerit urſis
Et ſanie oppleri turpes ſinit ardua uultus.
Hos equidem praui deformes tergoris artus
Par certè ingenium comitatur: & omnibus ut tu
Horrendus membris: ita pectore uanus & auſo
Impauidus, tantum præſtantis acumine polles
Conſilij, quantum uel Rhamno cedat Oliua,
Vel ſanè æternam uincant mora algida Laurum.
Craſſos craſſa iuuant. tum quæ ſecreta malorum
Ingenijs natura ſiet, monſtrauerit uſus,
Conſilijq́; modus, uitæq́; licentia pandit.
V. *Iſta Tyrannorum uetus eſt uia, ringere: cum ſe*

Nequicquàm tulerint patienter uoce moneri,
Alteriusúe bono medicari triſtia ſuaſu.
Et facile eſt terrere metu ſubeunte minores,
Conuicijs agitare bonos, contemnere per quos
Promoueas, æuiq́; uſus & commoda diſcas.
Non mihi tantoperè curæ eſt tua uita, neceſſe
Vt mihi propterea ſtatuam, tolerare proterui
Plurima probra ſalis, cunctasq́; admittere ſannas
Cunctaq́; dura pati, quæ lingua petulca ſub auras
Euomit, ac magno uerborum pondere uerrit.
Me talem certè finxit natura, deorum
Progenies, quali mea nunc compage uidentur
Pellibus obduci rigidiſſima tergora noſtris.
Tum quis naturæ legesq́; uicesq́; modosq́;
Arguere, aut iuſtam poterit damnare parentem?
Diſtribuit ſua cuiq́; Deus, cauſasq́; per omnes
Ducit opus, nulliq́; iniurius alta regendo
Librat, & æquata diſpeſcit fata bilance.
Huic breuior facies, huic fortibus ardua lumbis
Tubera, & huic facilis datus eſt in uulnera morſus.
Præcipitat Ceruus curſum, ſed lentus Aſellus
Ingreditur: Tauri ſuccendunt cornibus iram:
Simia deformes catulos, pulcherrima Gallus
Pignora producit: breuiori fœmora Daxo,
Pes leuior Damis: Elephanti ſenſus: at Vro
In mortem rabies: niueo ſunt dulcia Cygno
Guttura: ſunt Aquilis prædæ, fallacia uulpi,
Luxuries Capro, Canibus fiducia, paruis
Formicis labor, & fuluo mens alta Leoni.
Cur non unus habet tot commoda? ſcilicet omnes

Expendit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Expendit natura gradus, quodq; utile cuiq;
Inuenit, hoc etiam uarios partitur in uſus,
Et ſua uenturis largitur commoda rebus.
Quòd ſi me, me etiam uel conſultore tuliſſent
Fata, uel arbitrio foret hæc res obuia noſtro:
Haud ego diffiteor magis hanc potuiſſe Leonis
Naturam placuiſſe mihi: quòd robore præſtes
Ingenijq; bonis, generoſa ac indole uincas.
At quæ natura aut patrijs euentibus inſunt,
Nec te commendant, nec te reprendere poſſunt.
Vnus habes quæ nullus habet: quòd fortior æqua
Mente feras duris cohiberi pectora uinclis,
Cum poterant fractis tibi libera caſibus eſſe.
L. Inſipiens, obſcœne doliſq; imbute, ſed omni
Conſilio ſpoliate bono: cui plurima fandi
Copia ſemper adeſt, nec adeſt ſapientia dicto:
An'ne etiam exceſſit ſtolidis tibi mentibus ille
Maiores inter noſtros aliquando peractus
Luſus, & ingenti penſatum uulnere crimen?
An, quo te genitum iam non mentire, parentem
Haud poteris meminiſſe tuum penè iſta Leoni
Eſſe etiam priſco perfricta fronte locutum,
Quæ nunc tu ſtulta repetis mihi uoce? ſed illi
Gratia quæ ſtupido mercesq; ſoluta prophano eſt?
Tu'ne animis pellem, aut animum fers pelle? quòd uni
Omnia conſpirent, & mens & forma moleſto
Planè equidem monſtro: cui nil ſupereſſe placeret
Quod deinceps ſacrum, quæ deinceps recta uocares.
Dij quantum cæcæ mortalia pectora noctis
Occupat. alterius uix quenquàm poſſe moneri

Caſibus, aut animos ſocio mutare periclo?
Scilicet hæc una eſt ſceleratæ linea uitæ,
Obriguiſſe malis: pœnas tempſiſſe, nec ullo
Flectier obſequio, monitisúe accedere poſſe.
Vtq́; tibi conſtet ſcelerati audacia facti:
Scis generi quantum ueſtro, quantumq́; luporum
Inſidijs actum eſt, oppreſſo ut ſceptra Leone
Imperij raperet factis immanior Vrſus,
Et patriam ferret patrio pro more Coronam.
Interea accedens ſimulat probitatis & altæ
Virtutis ſpeciem: officioq́; accommodat omnes
Ingenij neruos, crimenq́; in lumine celat:
Oſtentans qua ſe pridem utilitate Leoni,
Et ſe qua deinceps etiam ratione probarit.
Abſtineat titulis genitor. diſcordia ſi qua
Forſitan ulla feris, bellumúe oriatur, ut acri
Certetur pugna: uel ſi qua licentia duras
Exeat in cædes: operam ſeſe eſſe daturum,
Ne motas quiſquam rixas, ne bella uel iras
Mouerit impunè, aut regem turbarit inultum.
Pacato interea Leo pectore uiuat, & iſtis
Plurima cancellis uitæ ſibi gaudia captet:
Securus fameq́; ſuæ generisq́; uetuſti
Quod colat, ac laudem tranquilla in ſede ſequatur.
Improbitas ſedenim fœlix nequit eſſe, diuq́;
Perfida nulla latent. Quàm primùm aſpectat in Vrſum
Innixus caudæ genitor, flammasq́; feroces
Luminibus pandit rictusq́; in fulmina denſat,
Infidos Vrſi uultus technasq́; dolosq́;
Iam notat, ac ſtolidos è uerbis concipit auſus.

Indole

Indole nam ſuperant præſtantes: miraq́; diuos
Heroas rerum ſolertia firmat, ut ipſo
Intuitu tacitas animorum prendere formas,
Et quæ formarum ſint pondera, cernere poſſint.
Ergo ubi præſentem auerſa iam mente tuetur,
Infremuit primùm & faciles pater impulit auras
Rugitu horribilis: ueluti cum flamma cauernis
Aeſtuat Aethneis ſonitumq́; eructat ab imo
Exagitata ſpecu ſuperoq́; immurmurat orbi:
Haud ſecus exarſit, genitoris ut improba ueſtri
Senſiit acta Leo: nec ſe capit, alta moratus
Vincula, depoſcit pœnas Vrſoq́; minatur.
Principibus Nemeſis facilè inflammatur. at Vrſus
Conſcia cui tacitæ fuerat mens improba culpæ,
Accelerare fugam, pedibusq́; inducere curſus
Ac ſua non ueteri committere pectora fuco.
Nam meus ut rigidis pater inſilit unguibus, altos
Protinus infregit ceu ſtupea uincula clatros,
Erupitq́; ferox, ceu cum cita fulmina cœlo
Præcipitant, lapſuq́; ruunt. quid cædis & atri
Sanguinis effuſum eſt? res eſt tibi nota: parumper
In tete redeas, memoriq́; id mente reuoluas.
Vt uerò laceram calidoq́; cruore madentem
In ſua luſtra tulit quæſtuq́; cit æthera, pellem:
Informes certè gemitus, ſuſpiria, luctus,
Edidit, ac magno lenit ſua uulnera planctu.
Ardua reſtabant monitis ſubigenda Luporum
Agmina, in hæc ſubito pater irruit obuia motu,
Proſternitq́; uagos, cogitq́; ea cuncta fateri
Crimina, ſancito quæ pridem fœdere nigrum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Vt ueherent Vrſum, premerent ſic dira Leonem.
At caſtigatos tantiſper, ut omnia circum
Tempora ſanguineis uideas fluere æquora riuis,
Admonet, ut fido ſint deinceps pectore. magnum
Imperio decus eſſe Lupos, ſi ritè beatas
Officij partes, & quæ conceſſa ſequantur.
Diſcedunt, aliusq; aliud iam perdidit. armus
Excidit huic fractus: pedibus gemit alter hiulcis:
Huic capit illiſum ſaxo dolet: illius auris
Leniter excuſſa eſt: uni detecta fluebant
Ilia: pars humeros & tergora fracta trahebant,
Pars clamore deos ueniamq; exceſſibus orant.
Hæc fortuna tui quondam patris, æqua moneret
Tete etiam ne quid committas ſtulte: quod altam
Aut bilem nobis, ſubitos aut mouerit ignes.
Degeneres etenim minimè ſumus: inclyta noſtris
Semina pectoribus, ueteri à uirtute parentum
Fixa manent, animiq; uigor, pernixq; uoluntas
In ſcelerum pœnas: quibus afficiare ſuperbi
Flagitij monſtrum, ni meme innata teneret
Maiorum uirtus, uinclo & parere iuberet.
Non noſtros, animo ne erres ſtupidiſſime, clatri
Vi cogunt artus intraq; repagula ſtringunt.
Lignea ſepta uides, imbellia: qualia noſtros
Vix ſolos poſſent ſufferre in fragmina dentes.
Quid caudæ uires, manuumq; & ferrea dicam
Robora neruorum, ualidosq; in bella lacertos?
At cita cum patrium reprendat fama calorem,
Carcere qui rupto ſtolidum proſtrauerit Vrſum
Et nimis immani fœdarit tergora morſu.

Haud

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Haud etenim exiguos præſtantia pectora motus
Induere, aut pœnis menſuras addere poſſunt:
Sicut at inualidi ſuperant faſtigia tecti
Flammarum moles ſubitosq; feruntur in ignes:
Spiritus haud aliter ſuccenſa bile tumeſcit,
Feruentesq; animos & agentes ſuſcitat iras,
Quas moderari etiam interdum ſapientia neſcit.
Quòd magni magnos errataq; turpia lapſus
Sæpè uiri admittant. dolor eſt qui commouet altas
In pœnas, calidasq; impellit in ardua mentes.
Accenſis quanquam præſtare furoribus acre
Conſilium deceat, quantum ut ſuperemus honore:
Ingenua tantum uincamus laude minores.
Hæc me cancellis ratio tenet. optima magnos
Sectari par eſt, parereq; legibus ingens
Eſt decus, & ſeros ornant ea facta nepotes.
Sordida naturæ ceſſit tibi portio: ſtultas
Iccircò uoces & uerba procacia fundis.
Non tamen & deceat tali me felle moueri,
Et libertatem quæ prima eſt legibus, auſo
Perdere deformi, cœnoq; obducere laudes.
Nuncq; adeò moneo, temeraria guttura forti
Vt deinceps nexu ſolidoq; ſub obijce ſtringas.
Aurea nequicquàm promittunt ſemper eoſdem
Sidera concentus: interdum læta modeſtos
Aſtra ferunt uultus, interdum triſtia duras
Oſtendunt facies, ſubitisq; tumultibus ardent.
Nunc tempeſtates, nunc molles æthera uenti
Incingunt: Sapiens quæ ſunt aduerſa cauebit:
Quantumuis grato niteant ſpectanda colore.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

V. Quiſquis amicitiam fregit ſemel. excidit altis
Poſtea fœderibus. nihil eſt reuocare priores
Ad iuga priſca boues. nihil eſt concordibus ultra
Niti animis, aut blanditijs te uelle mereri
Quos pridem atroci uiolabas dente Leones.
Principibus nocuiſſe uiris ſtultiſsima res eſt.

COLLOQVIVM VI.

Non eſſe mortis tempus extimeſcendum bonis.

SALVIA. MELISSA.

S. IAm tepet æſtiuis laſſata caloribus aura,
Atq; Autumnales inducunt ſidera morbos.
Iam folijs decor omnis abit, iam ſtipite preſſo
Languet, & hybernos formidat terra rigores.
M. Iam Sol uirgineos ſuperans deuenit in ignes,
Et propior nodis auſtrinum fertur in orbem,
Inſiſtitq; iugis: medias ubi libra tenebras
Diuidit, ac lucem parili iubet ire bilance.
S. Aret ager, nimijsq; ſitit feruoribus herba.
Flumina deficiunt, & aqua cedente laborant.
Syrius hic noſtro nimium grauis imminet orbi,
Vrentesq; iacit ſubiecta in paſcua flammas.
M. Optima res calor eſt: ſed ſi modus abſit agenti.
Omnia peruaſtat, ſegetes depaſcitur, arua
Obruit, ac toto ſæuit truculentior igne.
Sed quid uel damnes funeſtum mœſta calorem,
Vel laudes etiam? gelidæ quis frigora brumæ

Aut

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Aut dictis culpare, aut non reprendere poſſit?
Vt calor exurit, ſic nos rigor altus inurget
Herbarumq́; comas & florida ſemina ſternit.
Stirpibus una quidem mors inſidiatur, & imis
Hanc gerimus, quanquàm ſint corpora firma, medullis.
S. Seu calor incumbat membris, ſeu frigora preſſent:
Mors manet una omnes, gerimusq́; hanc artubus altis
Impactam. nihil eſt uel dicto inceſſere frigus,
Vel cœli uires, gratum aut damnare calorem.
Cum nos, quæ reliquis præſtamus in omnia uitæ
Officia, euertant cœlumq́; ſolumq́; deusq́;,
Et certo natura premat iuſtiſſima ductu:
Mirari quid poſſe putes, ſi cætera toto
Deficiant habitu, fatisq́; obnoxia cedant?
Si medicina labat, uitam exſpirare neceſſe eſt.
M. Sanè equidem nobis iucunda hæc uita fuiſſet,
Si non & ſæuæ triſtiſſima tempora mortis
Permetuenda forent: dolor eſt meminiſſe futuri
Interitus. quid enim ſubitæ rata frigora brumæ
Attulerint? æuo certè funeſta minantur
Exitium: quantumq́; hyemis ſucceſſerit orbi,
Tantum etiam mortis miſeras accedit in herbas.
S. Vt te terret hyems, & mortis imago futuræ:
Sic nos, ſic noſtros recreant noua gaudia ſenſus,
Læticiaq́; fouent, rerumq́; pericula tollunt.
Et propiora quidem ferri nunc ſidera brumæ
Largior, ac ſæuos deuolui in littora fluctus.
Attamen interitum, gelidamúe horreſcere mortem,
Aut queſtu complere genas, obducere uultus
Fletibus, aut ſtolido te ipſam ſtrauiſſe dolore,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Nec probo, nec noſtram lacerant ea triſtia mentem.

M. *Nec te terret hyems, gelidæ nec mortis imago?*
Nec turbant fragiles tam certa pericula ramos?

S. *Haud equidem. Quid enim? nam cum ſint certa, uoluptas*
Prima putanda ſiet, ſi defungare periclo,
Perq́; altos tranes uentura in gaudia luctus.
Quamuis iſta quidem uocitanda pericula nunquàm
Dixeris: exactum ſi res referatur ad unguem,
Et benè depenſa memores tua commoda lance.
Nam fas eſſe ſcias uitare pericula: mortem
Nec uitare quidem poßis: & plurima tete
Tempora ſic proprijs incingunt legibus: ut nil
Proficias, ſi quid conando aduerſa ſequare.
Quæ ſunt certa, uelis animo tibi ſacra putari
Semper, & æterno quæ ſunt Ioue firma probaris.
Tum uerò & mortem quod tu fortaſſe uocabas,
Mortem haud eſſe putes. nam quòd tibi ſumma recedat
Hyberno coma fracta gelu, folioq́; reuulſo
Deponas uiridem, ceu morbo oppreſſa, colorem:
Dura quidem pateris: ſed non tibi protinus omnis
In lethum uigor, ac tenues exſpirat in auras.
Hæc eſt illa quies operoſi grata laboris,
Munere qua defuncta ſuo natura parumper
Ceſſat: ut in priſcas iterum lætißima uires
Surgat, & innatum reparet luctando calorem.
Nec florere bonis ſemper fuit utile. duras
Et tolerare uices laudi datur. aut tibi magnos
Quid memorem fructus, quos frigida bruma iacenti
Interea moli terrarum & ſtirpibus addit?
Ipſa quidem exhauſto ceu uentre Meliſſa perires.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Si tibi perpetuo conſtent pulcherrima fructu
Corpora, & aſsiduos reddant tibi ſemina flores.
Quod requie caret, ac nullo ceſſarit ab actu,
Vt durare quidem nequeat, ſic prorſus ineptum
Redditur, ac uanos tantum ſeruatur in uſus.
Adde etiam uires, & proſpera munera, Bruma
Quæ tibi ſubmittit, rigeas licet. Illa calorem
Exacuit, quantumq́; premit, tantum addit honoris
Venturi, & merita penſat tibi triſtia laude.
Vis noua telluri gelida ſuccreſcit ab urna,
Et rigor hiberno denſat ſata corpora morſu.
M. At morti ſimilis bruma eſt: quantumq́; propinques
Solibus hibernis, tantum te accedere letho
Noueris, ac miſeram folijs inducere mortem.
S. Excutitur folium, uarijsq́; agitatur, abitq́;
Et circum toto propellitur æquore nymbis.
Vita manet, ſummisq́; etiam diffuſa medullis,
Preſſa latet, ſeq́; in ſe colligit ardua: totis
Paulùm uſu ceſſans radicibus hæret, & omni
Frigora conatu, quantum dent fata, retundit.
Inde ubi preſſantes hyemis ceſſere procellæ,
Inq́; nouos iterum redeunt ſata læta calores:
Scilicet ingentem cum Phœbus Apollo canopum
Liquerit, ac geminas ſua plauſtra reducit in arctos:
Pandimus & noſtros etiam noua corpora uultus,
Et compreſſa diu ſuperas ſe rurſus in auras
Semina protrudunt, ſeq́; in ſua regna remittunt.
Hic non tam nobis quondam ceſsiſſe moleſtum
Ingratumúe fuit, quàm nunc reuireſcere toto
Stipite, & infuſo uolupe eſt ſuccreſcere ſucco.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Vita prior ſordet, noua floribus aucta comiſq;
Expetitur: quantumq; ſolo tua germina pandis,
Tantum prima leues mirantur dona puellæ:
Alluduntq; manu, teneroſq; urgere ligones
Certant, ac ſtructis addunt tibi robora porcis.
M. Vt tibi concedam ratio eſt: & nouimus iſta
Saluia blanda geri. Sed ſi traducere certes
Colloquium, ac homini tribuas, quæ certa profarit:
Quis dubitet, rapidæ quin ſint ſua uulnera morti
Et genus inuiſas fugiat mortale tenebras?
Credo ego nil homini contingere dulcius, hoc quàm
Aetherei lumen Solis flammaſq; micantes
Cernere, & hæc oculis cœleſtia regna tueri.
Eſſe uoluptatem primam hanc mortalibus: una ſuperbis
Quam mors imperijs & atroci funere tollit.
S. Molliter iſta canis diuo Soror aucta furore,
Quæ meritò Vates imitari numina uellent.
Eloquio ſed enim quanquàm nos uincere poſſis,
Non tamen & ſtudio uinces rerumq; medullis
Quæ ſanè ingenij comprendi lumine poſſint.
Aut quid tu miſeræ toties ergaſtula uitæ
Commendes? ultrò genus hoc mortale uocanti
Accedit cœlo, ſtudijſq; in funera tendit.
M. An uerò morti concedant ſpontè? faceſſat,
Triſtia blandenti depingere fata colore,
Et medios inter ſibi fingere læta dolores.
Non moueare etiam, ſi tu tua rura relinquas
Excedaſq; ſolo. minor eſt iactura. ſed iſtos
Amiſſa uitæ penitus nil luce moueri?
S. Nil etiam certè. cupidis quin pectora flammis

In

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

In mortem properant. ueluti ſitientibus herbis
E cœlo gratus poſtquàm fluit humor, hianti
Combibit ore ſolum, mergitq; in uiſcera lymphas.
Sic auido mentes in ſidera corde feruntur,
Iungunturq dijs: placidiq; in regna Tonantis
Conceßiſſe iuuat, corpusq; inferre ſepulcris.
M. *Aſt hominum quæ cauſa genus mouiſſe putanda eſt,*
Vt bona ſedato præſentia linquere uultu
Et tempſiſſe uelint? naſci, eſt aliena uoluntas:
Velle mori, propria eſt, uitæq; aduerſa beatæ.
Vt ſibi nemo adigit iaculum ſub pectora, quiſquis
Conſilio præſtans, animi non motibus errat:
Sic ultrò mortem nemo expetit. aufer amorem
Præſentis uitæ, nihil eſt uixiſſe: nec ipſi
Hanc homines laudem poterint uiuendo mereri.
Vt fuerint homines, & proxima gloria diuis.
S. *Immortale quidem decus eſt & uita Tonanti*
Perpetua, æternis & lux inſcripta diebus.
Hæc ſibi ſufficiens per ſe ſubſiſtit, egetq;
Nullius: at cunctis uitamq; halitumq; creatis
Donat, & æthereo ſuſtentat membra uigore.
Huc ſitit, ingenio quantum comprendere poßit,
Humanum genus, & cœli faſtigia ſpectat:
Cuiuſdam ſacræ quòd ſemina originis alta
Circum mente ferat, ſeq; ipſum intelligat eſſe
Progeniem ſuperis: uitamq; è ſidere duci.
M. *Qua tamen iſta queant penitus uirtute uideri*
O ſoror? aſtriferos etiam nos cernimus ignes
Sentimusq; ſacros delabi in uiſcera motus.
S. *Aſpiciunt oculi cœlum. ſed lumina latè*

Deficiunt. animo geritur res: hoſpes & intus
Mens agit, ac cœlo uigili ſe robore miſcet.
M. *Hac igitur fœlix genus eſt mortale, ſuisq́;*
Dotibus excellit. miſeris ſed ſtirpibus eſſe
Et licet, & gemino querimur ludibria damno.
S. *Nec miſeræ ſtirpes, nec fœlix protinus iſtud*
Eſt mortale genus. Si cœlo aſpirat, & illud
Aſſequitur: fœlix genus hoc mortale feratur.
At fortunatam ſi dixeris eſſe Meliſſam,
Rectè equidem dicas: profert ſua ſemina, flores
Explicat, ac citrum folijs proſpirat odorem:
Sufficit & cordi uires, tenerumq́; calorem
Promouet, ac ſtomacho mediocres adijcit ignes.
Quòd ſi deficias hiberno ſidere: non te
Propterea miſeram fractamúe dolore putabis.
Haud alio ſiquidem tu condita fine, ferebas
Hos inter mentas & candida lilia uultus.
Aſt hominem natura dedit, qui condita ſarto
Imperio regat, ac ſtatuat ſua præmia facto.
Vlteriusq́; etiam tendit progreſſus: & æui
Vt bona præſentis, ſic gaudia uera futuri
Subijcit ingenio, ſpeq́; hac iam totus olympum
Poſſidet, ac uolucri ſcandit ſuper æthera mente.
M. *Hæc igitur cauſa eſt homini, cur expetat orbi*
Iungier aſtrifero gelidamq́; aſciſcere mortem,
Vt cum cœleſti lætarier agmine poſſit,
Adſcriptusq́; dijs ſtabili iam ſorte fruatur?
S. *Prima quidem hæc cauſa eſt: ſed non ea ſola, Meliſſa,*
Cauſa putanda ſiet. Quid enim ſoror, iſta uetaret
Conijcere ex tete: cui cum noua triſtia mœſtæ

Acciderint:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Acciderint: quali tum celſa cacumina uult
Tendere mota ſoles? equidem tua dicta recordo.
Cum tibi paſcentes uiolaſſent germina porci
Tete optaſſe comis ſpoliatam uiuere: ne qua
Vel noceat folijs iniuria blanda, uel iſtos
Rurſus adire metus, horrereq́; uulnera poſſes.
Sic hominum genus, interea dum militat orb
Sidereo, ac animis patrium ſectatur olympu
Multa aduerſa pati, multis ceſsiſſe neceſſe
Cum ueluti ratibus peregrinis hoſpes ab oris
Albionum terras & regna Britannica quæ...
Vt ſibi puniceo ſubtinctam murice lanam
Conuehat, ac fului referat noua grana metalli:
Multa quidem tolerare mari, tolerare profundo
Cogitur, & uarios conſueſcit obire dolores.
Nunc tempeſtates, nunc ſæui turbinis iras,
Ventorumq́; faces & fortia nubila perfert:
Nunc lenes auræ crepitus, nunc mollia ſentit
Flamina, nunc duras horreſcunt uela procellas:
Fluctibus interdum tolluntur in æthera puppes.
Interdum medio ſubſidunt carbaſa lapſu,
Atq; oculis penitus ueluti ſublata fatiſcunt.
Quis dubios pelagi ſcopulos, quis inhoſpita narret
Littora? iam uariæ ſunt promontoria terræ,
Sunt cæci portus: eſt mens ignara futuri,
Incertæq́; uiæ & ſtolidis incuria nautis:
Omnia propoſitos quæ tardant triſtia curſus.
Haud aliter mortale genus dum tendit olympo
Plurima diuerſos inter tolerando labores
Dura, moleſta ſubit. Vita eſt res ſancta: ſed illi

Multa aduerſa quidem contingere poſſe putabis:
Quæ faciant, poßit ne res quoq; dulcis haberi.
Viq; tibi breuiter quæ ſunt ampliſsima, narrem,
Sic cape. Naturam cum condita prima fuiſſet,
Protinus ingentes cumuliq; & Lerna malorum
Occupat: inuidia poſtquam ſceleratus auerni
Rector, in hæc ſacri generis fundamina uirus
Intulit, ac cæcis immerſit corda tenebris.
Ex iſto latè iam pullulat atra dolorum
Vulnere tempeſtas: miſeræ quæ plurima uitæ
Ingruit, ac herebi fœdatam motibus auget.
Proditione, dolis, ſcelere atq; libidine, & ira,
Ingenijs peccatur: & his iam uita corollis
Luxuriat, uetitoq; tumet feruentior igne.
Nec modus erratum cohibet, nec meta furori
Ponitur. effracto ueluti cum carcere liber
Errat equus campis, & inurget ſaltibus auras:
Sic ſcelerum natura ferax effundit in omnes
Corda ſoluta modos: quantumq; inſiſtit eundo,
Tantum errat, uarioq; urget noua crimina motu.
Forſan Auaritiæ ſeges eſt proſtrata? libido
Protinus exurgit. compreſſa eſt Idalis? altè
Pullulat ambitio. Si fœda ſuperbia uicta eſt,
Aſperat ira animum. languet furor, excitat illum
Ebrietas. Si non Baccho capiare: prementis
Inuidiæ te dira lues ſubuertit: aluntq;
Pectora flagitium, quo fœdera, pacta fidesq;
Et conuenta ruunt: paruasq; iniuria propter
Exiſtit cauſas, ſeq; in ſe firmat erynnis.
His equidem ſalebris uita eſt obnoxia. ne quid

Et

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Et morbos referam, & uarios memoraro labores,
Hæc quibus obruitur ſic preſſa doloribus ætas:
Vt ſe dimitti cupiat, nexuq́ ſoluto
Verè etiam exoptet ſuperis ſe adiungere regnis.
Iſta quidem prior inuitat ſuccedere cælo
Cauſa: ſed hæc cogit fortiq́ agit aſpera neruo.
M. *Concedo. ſed enim metuenda eſt ianua mortis*
Atq́ ipſum terret pauitantia pectora tempus.
S. *Ne terrere quidem poſſit, res una ſaluti*
Semper erat: pietas & quæ ſibi conſcia magni
Eſt mens recta, boni. talem dant numina mentem
Sola uiris, qui cæleſtes in pectora diuos
Inferre, & cæli monitis parere laborant.
Hoc clypeo uinces: hæc eſt tutela bonorum,
Hoc mortis ſolamen, & hæc uia regia cælo.
Haud alio quiſquàm mereatur præmia curſu:
Nec ſibi diuerſo meditetur ab ordine uitam.
Hoc tutus medium uel morti porrigat unguem,
Inſultetq́ Herebo, ditiq́ nouiſſima pandat.
Anchora perpetuæ Deus eſt fidiſſima uitæ,
Et ſors læta bonis. flocci ſunt cætera: quòd nec
Si deſint, miſerum: nec reddant aucta beatum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

COLLOQVIVM VII.

Vitæ coronam eſſe Temperantiam.

PERSICA. MYRTVS.

P. CVm tibi Myrte lacus ſuccreſcere propter amœnos
Contigit, ac noſtris tendas noua brachia ripis:
Eximios certè profers in littore uultus,
Et uiridi ſubnixa coma folioq́; manente
Per tua deciduos confirmas ſemina flores,
Naribus & gratum redoles Citheræis odorem.
Nos quondam meliore ſolo, meliore colono,
Et rerum ſolitæ meliori ſorte potiri,
Deficimus translatæ: animumq́; excedimus æuo
Et cariem folijs & caudice damna uidemus.
M. Neſcio quo tandem ueniant tibi Perſica regno,
Quæ tu læta petas, fœcundaúe germina poſcas.
Hactenus incertis reptantem ſedibus omni
Deprenſum eſt te te non fundere ſemina colle:
Sed quoddam auerſata ſolum ſterileſcis, & acri
Quantumuis foueare manu, ſine fructibus erras.
P. Semina non omnis produxerit omnia tellus:
Fœcundoúe ſuos complectitur ubere fœtus.
Hîc Coryli, ueniunt alibi fœlicius Vuæ:
Diuerſoq́; ſolo diuerſa cacumina ſurgunt.
India fert Hebenum: Croceos dat Tmolus odores
Ardua luxuriat diuino Mœdia pomo,
Et Loton gens dura ſerit: Naſamonq́; proteruus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Et miſeris crudelis: in hæc quos littora Syrtis
Caurus agit, dubijsq́ rates funeſtat arenis.
Balſama Iudaico ſuccreſcere læta colono
Fama refert. Sedenim Myrtum tete Italis ora
Idaliæ ſacram producere prima ſolebat.
Nunc etiam tranſlata procul uirtute recedis
À patria, formæq́ decus flacceſcit, & illud
Quod natura quidem tribuit tibi priſca uenuſtum
Paulatim excedit, ueteriq́ exſpirat ab uſu.
M. Vt uaria es. quodq́ antè probas & laudibus effers,
Nunc culpas, uerſoq́ premis mea robora dente.
Scilicet hæc ſtudij contentio ſubdola ueſtri eſt
Iudicijq́ modus: cum ſis effœta necemq́
Victa trahas, facili ſuſpendas cætera naſo
Et grauibus ludas quæ ſunt mihi triſtia ſannis.
Nec tamen & ſtupidam me dixeris eſſe, tuis quæ
Ceu perculſa dolis non recti plurima cernam,
Quæ nos humanæ coniungunt munera genti.
Magna quidem linguæ nota eſt petulantia, qua te
Exoſam populis iam dudum pluribus eſſe
Haud neſcire potes. ueteri quidúe expulit aruo
Et dedit extorrem laribus te errare paternis?
Scilicet infami cum te natura ueneno
Tinxerit, ac diram ueles ſub cortice mortem,
Exegere ſolo Reges, teq́ inſuper omni
Cum ſobole, & nocuo patria cum ſemine pellunt.
Excipit Aegyptus pulſam, teq́ inſerit hortis,
Et radice fouet. Sedenim Nilotica tellus
Emendat diros & noxia uiſcera fructus:
Teq́ aliqua rurſus præſtantem laude propagat.

Inclyta Carpathio fama iacet Inſula ponto:
Solis ubi ingenti conflatus ab ære Coloſſus
Immenſos artus excelſaq; membra ferebat,
Lyſippi fingentis opus: quod multa uideret
Secula, ſi terræ non uerſum motibus eſſet.
Huc Peluſiaco delatam ex ubere primùm
Intulit audacem, ſcrobibusq; hærere profundis
Cura dedit, lateq; comas diffundere uentis.
Sed nihil effrenes induſtria mouerit artus,
Nec domat inuiſos cultura tenerrima ſuccos.
Reſpuis actutum curasq; operasq; magiſtri,
Deludisq; manus, quæ te peregrina ſequentem
Aſſerere, & claris poterant immittere regnis.
Protinus expellit ſterilem Rhodus. accipit ultrò
Aduectam Latium: teq; in ſola læta recondit,
Et proferre comas, & pandere brachia mandat.
Haud mora concipiens non tantum brachia pandis
Aſſueſcisq; ſolo: dites ſed ab arbore fructus
Trudis, & eximio pendent noua Perſica uultu.
Gratantur ſtudio Latij, teq; æmula laudum
Roma colit: primosq; inter conſiſtere fœtus
Arboreos iubet. Aſt nihil eſt confidere prauos
Succeſſu. quid enim? rurſus tete aduena menſis
Submouet, Eoa qui clarus origine magnum
Pergameis Latio nomen de collibus infert.
Nunc ſuſpecta Italis cum ſint tua ſemina, campos
Hos inuiſa petis: quantumq; excedis amœna
Auſonia, tantum dulci ſtas fœta ueneno,
Et populis uarias meditaris funere mortes.
P. Non tu Myrte ſatis, quæ ſim, mihi noſſe uideris:

Cum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Cum mea lethali penitus ſuffuſa ueneno
Membra notes. Sed enim tali cum Perſea morbo,
Eoo tantum quæ prouenit orbe, laborat:
Nomine fortaßis decepta ac fructibus, iſtud
Sic memoras. noſtris nihil eſt cur toxica lignis
Myrtus ineſſe putet: medijsq́ latere medullis
Funera, & haud dubias guſtanti aduoluere mortes.
Me uerò Aegyptus patrio de ceſpite ueram
Agnoſcit ſobolem: noſtras ea prouida nutrit
Terra comas, gratosq́ infert in pabula fructus.
At Soboles nec adulta Rhodum, neq́ firma ſubibat:
Atq́ aduerſa meis terra eſt data fructibus. an' non
Hoſpitium primum iſtud erat? uix cernere primo
Progreſſu poteras, quantum uirtutis in alta
Aut radice foret, noſtris aut floribus eſſet.
Res opus omnis habet cultuq́ ac tempore, quo ſe
Approbet ignotis, ſequé in ſua ſeria ducat.
Oenotriæ ſed enim campos, mitißima rura
Italiæ, & terras diuino Sole calentes
Quis non laudarit? Latium non ſponte relinquo:
Sed tranſuecta manu gelidas noua cogor in Arctos
Et Gudio uicina locor, quà diues in altum
Influit Oceanum tenditqúe ſub æquora gurges.
Hîc mihi natiuo diſcedunt robora ſucco,
Paulatimqúe labat priſcæ coma florida uitæ.
Sed quid noſtra uelim crebris iam damna querelis
Vrgere, aut uario mea fata retexere planctu?
Te quoq́ multa premunt ſerum paritura dolorem,
Quæ uiolant teneros inuiſa pericula ramos.
At de me nihil eſt quod dicas Perſica. noſtræ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Nota quidem eſt uitæ menſura ſagaxq́; ſuisq́;
Obuia delicijs, & honeſto nobilis uſu.
Non nos omne ſolum tulerit. quantum ardua magna
Europæ facies ponto ſe obiectat, & acres
Horret ad Oceani pulſato in littore fluctus:
Internosúe etiam ſuccingit limite montes,
Seu terras amplexa ſuas, ſeu flumina uerſans:
Italiæ ſolus fœcundam campus alebat,
Italiæ me terra tulit: ſobolemq́; beatam
Subtexit folijs, Lauroq́; inſerpere iuſsit.
Salue præcipuis memoranda laboribus, & re
Fœlix Italia: hæc ſi quid fortaſſe labando
Secula fœlicem, latè & pereuntia dici
Aut florere ſinant. equidem gratiſsima tete
Euexit fortuna, proculq́; extendere famam
Et retinere dedit, cum magno maxima fato
Et populis Leges, & Legibus inclyta condas
Hoſpitia, & latè uirtutum ſemina ſpargas.
Non tibi uel fructus deſunt, uel honeſta bonorum
Iudicia: ingenijs ſuperas, laudemq́; mereri
E' bonitate potes, ſi quæ pulcherrima rerum
Momenta exquiras, uera è uirtute ſequare.
Sis igitur fœlix, generisq́; ampliſsima noſtri
Pignora conſerues: quantumq́; infundere ripis
Brachia dextra uelis, bimaresq́; erraris in æſtus:
Auſoniæ tantum ſubtendere robora Myrto,
Et proferre comas, & ludere floribus aude.
Aſt ne quid noſtris ô Perſica motibus erres,
Cimbriacas ſaltem ſpectandæ acceſsimus urbes.
Non etiam multis ut fructibus arua replerem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Inferremq́ meos non æqua in littora fœtus.
Forſitan & tempus ueniet, traducta parumper
Cum me pignoribus decoratam cernere poſsis,
Et medios inter poſitam florere corymbos.
Non uno ſtant fata gradu. res motibus errat
Interdum uarijs. an non caligine cœlum
Nonnunquam obduci tenebrisq́ fatiſcere cernis?
At ueniens gratos aurora reduxerit ignes,
Intuleritq́ diem mundo, penitusq́ ſerenos
In ſua regna mouet Phœbi lux alta iugales.
Nonnunquam pluuiæ, nonnunquam flamina proſunt:
Non uni dat cuncta Deus: ſors omnia uerſat.
Anchora at expediet ſub tempeſtatibus altis
Seu gemina fulcire ratem: ſeu protinus una
Valdè equidem forti dubias firmare carinas.
Interea miror qua demum clade labores
Cum noſtris equidem regionibus aurea paſsim
Perſica lecta uides. te læta Fionia, tete
Scania diues habet: Sialandia pulcra frequenti
Vel tellure colit, uel nunc tete urbibus addit.
P. *Dicam equidem: noſtro quoniam te Myrte dolori*
Indoluiſſe putem: quo primùm tanta ueneno
Incidit aucta lues. leuis eſt occaſio tanti
Interitus. uacuo delata huc uentre ſubiui,
Atq́ auida ignotos petij radice penates.
Poſtquam igitur mihi dulcis aqua data prima fuiſſet
Copia, & in noſtros patuerunt flumina tractus:
Hauſimus ingratos patulo nimis ore liquores,
Intulimusq́ altis gelidas radicibus undas
Et ſecura loci, & ſtudijs obnoxia noſtris.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Sæpè modum faciles ſuaſere in pocula Nymphæ
Damnaruntq́; ſitim, numerumq́; adhibere monebant.
Sæpè ego ſuadentes contempſi: donec in omnes
Articulos ſubijt nocuæ uis frigida lymphæ,
Exſuperatq́; gelu languentem triſte calorem.
Hæc mihi cauſa mali prima eſt, & origo doloris
Quo morior, uitæq́; uſum lucemq́; relinquo.
M. Vt uerum eſt, ſibi quemq́; ſuo præſtare latentes
Exitio cauſas: proprijsq́; è motibus ultrò,
Quo tandem pereant, miſeris exiſtere poſſe.
Aut tibi quid contrà referam? quid Perſica dicam
Vlterius? ſatis eſt tibi facta domeſtica tandem
Sic conſtare, ut & hanc mortem fateare proteruo
Induci uitæ ſtudio: cum norma modusq́;
Soluitur, ac preſſas uaſtant fera pocula uires.
Et nos magna quidem caperet miratio, ſi quid
Hæc tibi res læti pareret: quæ fructibus omnes
Præcipitat neruos, uitamq́; in funera mergit.
Has equidem mundo curas, auidiq́; palati
Ingluuiem, Stygiæ rectorq́; paludis & orci
Intulit, exitium mortalibus. eia age ſummis
Tollendos homines, & habendos laudibus: hanc ſi
Exſuperant uitæ noxam. nam quicquid olympo
Diſsidet, hoc uno mihi diſſentire uidetur:
Quòd plerunq́; modum neglecto fallat honeſto
Cura hominum, tenuiq́; bonum ratione ſequatur.
Vtq́; tibi minimè procul argumenta petantur:
Nónne tuos, auido quod cæca indulſeris ori,
Iam tandem ſentis uaſtari Perſica fructus:
Corticibusq́; ſubeſſe necem, ſubſidere ramos,

Oppreſſumq́;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Oppreſſumq́ undis gratum languere calorem?
Et tamen has utcunq́ etiam natura ſequendo
Poſcit aquas, uacuoq́ infert ſua commoda uentri.
Aſt homines, quibus aucta Deo mens præſidet, & quos
Vel poterant exempla bonos, uel dura nocentes
Flectere fata, nihil monitis concedere. latè
Tranſiliunt uitæ metam: fractumq́ ſuburgent
In ſcelus arbitrium, nocituraq́ ſponte ſequuntur.
Quis precor inſani ſuccenſos pectoris ignes
Explicet, aut auidos ſcelerata in pocula rictus?
Res ea fine caret, caret & ratione modoq́
Conſilioq́ caret. nihil eſt mediocre: nihil iam
Quod celebrare queas, rectæúe inſcribere laudi.
Imperio uenter potitur, poſcitq́ uoratq́
Et potat. ſequitur tam duri iuſſa Tyranni
Quò uocat, ac ſtudio conſentit inepta uoluntas.
Omnia nunc igitur fracto ceu cardine languent
Atq́ excuſſa iugis rapiuntur aratra, feruntq́
Rapta boues, operumq́ modos & præmia perdunt.
Amplius haud quicquam, rectum quod dicere poſſis
Sentitur. nihil antiquo nunc amplius orbi
Conſonat, aut ueteri defert ueſtigia mundo.
Frugalem noſtri quondam (quid frugibus eſſe
Dixeris utilius) uitam duxere parentes:
Demenſoq́ modum, numeroſq́ inferre ſciebant.
Tum uirtus fuit ac meritæ res proxima laudi,
Abſtinuiſſe cyphis: tantumq́ expoſcere, quantum
Naturæ ratio poterat quæſiſſe uideri.
Sobrietas magnos decorabat ſacra Monarchas,
Et uiridi meruit ſuccingi tempora Lauro.

Hanc comitata phalanx uirtutum prima triumphos
Auxit, & æternos ſplendori inducere currus.
Iuſtitiæ fideiq́; agmen, Patientia, Robur,
Et Veri ſtudium, & Veneris menſura, Pudorq́;,
Relligio, & blando Reuerentia grata parenti.
Hæ comites ornare Deam, circumq́; feruntur
Conſertæ manibus dextras, ultroq́; ſecutæ
Quo ſua cunq; mouens ponat ueſtigia mundo.
Sobrietas igitur non hoſpita nuda ſubibat
Humanas progreſſa domos: ſed læta dearum
Acceßit ſtipata choro, ſociasq́; beatas
Duxit, & eximium cumulabat honoribus agmen.
Scit Latium, ſtudijsq́; ſacræ teſtantur Athenæ
Et ſua principibus memorant data ſerta uetuſtis.
Sobrietas rerum tum culmina prima tenebat,
Et Regum tutela fuit, ſummosq́;, per omnes
Aucta uirûm titulos, fidißima geßit honores.
Ardua frugali cuſtodia ceßit alumno
Regnorumq́; ſalus, ſceptri decor, omnia iuſti
Pondera conſilij: legum uis alta, docendi
Munus, & in meritas ſtatuendi noxia pœnas.
Deniq; quicquid habet rerum pulcherrima Tempe
rantia, quæ uitæ uera eſt & prima corona,
Legibus acceptum diuisq́; quod eſſe feratur:
Id ueteri totum cum pridem militet orbi,
In priſcos retuliſſe patres iam penè uideri
Poßit, & æternam maioribus addere laudem.
P. *At quid tantoperè libeat tibi, Myrte, uetuſtos*
Ferre ſub aſtra patres, titulisq́; ornare Tyrannos?
Illa ſolo dudum conceßit turba, iacentq́;

Aut

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Aut diſperſa locis, aut condita membra ſepulcris.
Deniq; nemo feret celebrari priſca: fatiſcat
Scipiadum noſtros inter ſacra gloria nanos.
Nunc artes præſtant: nunc durant robora: iam nunc
Ingens, pugnax, excellens & maſcula uirtus
Omnia peruaſit. nihil eſt niſi maſcula Virtus,
Quidquid ubiq; uides, quæcunq; palatia ſcandas.
M. *An'ne etiam morti quamuis uicina, iocando*
Exſuperas? equidem nihil es niſi languida uirtus
Fatorumq; extrema lues, & funeris umbra.
Nec tamen iſta mihi ſic Perſica dicta putabis,
Vt planè ignorem ſtolidi ſalaconica uulgi,
Ingratasq; hominum uoces: qui neſcio quæ nunc
Tempora, quasúe uices, quæúe infortunia laudant:
Cum nuſquam ſapiant, nec ſe comprendere poſsint.
Res ita iam pridem tacitis exempta latebris
In ſuperas totis ſe motibus extulit auras,
Vt credas lippis notam & tonſoribus eſſe.
Sed quæ uera, loqui fas ſit mihi Perſica Myrto,
Et uitium damnare: fero quod pondere ſternit
Optima, & immergit ſtupidas in funera gentes.
Ebrietas infame malum, turpiſsima peſtis,
Virtutumq; lues, noſtro iam militat orbi,
Inſcribitq; notis homines: illectat alumnos
Agminibusq; coit: quantumq; in maxima tendit.
Flagitijs tantum phalerata recentibus urget.
Blanda equidem meretrix faciles ſuccedit in annos
Inuitatq; animos pretijs, pugnatq; ſuaui
Vincere recta mero, ſceleriq; obtendere laruas:
Ne ſcelus eſſe putes, ſupero quod forſitan orbi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Diſplicet, ac fœdas in apertum miſerit artes.
Hanc circum Impietas, ignauaq́; dextera fertur,
Imbellesq́; deæ: quarum quæ maxima, facto
Dicitur impuro ſcelerum Laſciuia mater.
Hinc agit Improbitas plenos ſoror atra iugales:
Cui ueſtita dolis iam penè recentibus inſtat
Ambitio. hanc diræ ſequitur Petulantia linguæ,
Rauca leues clamore genas: cui uertice fœdi
Stant oculi, ciliumq́; ſuper mens effera tollit.
Huic uia trita quidem magnos perſæpè monarchas
Conciliat. fauſta res eſt tentata bilance,
Aequatoq́; tibi iam libra Sacomate pendet.
Fallere, mentiri, cuneos urgere latentes,
Et ſtruxiſſe dolos, alienam aſpergere famam
Sordibus, & quæ ſint rectiſſima carpere dicto:
His æuum abſumit ſtudijs, hoc more ſeneſcit.
Quid uerò Inuidiam memorem? cui læta ſecundo
Euentu fortuna dolet? quid cætera dicam
Flagitia, expleto quæ circulus omnia limbo
Nunc uehit, ac miſeris inſpirat noxia uitis?
Aut quid uel morbos numerem, quibus unica diris
Ingluuies eſt cauſa malis? non littora plures
Aſpiciunt fulicas: pluresúe agitantur arenæ,
Aut creſcunt celſis frondoſæ in montibus Orni:
Quàm ſunt damna hominum, dulci quæ Bromius uua
Promouet, ac miſeros inſtillat teter in artus.
Poſtremò ætatem, moderandaq́; tempora uitæ
Turbinibus ceu pulſa citis abſumit, & altum
Viſceribus ſubigens tardatúe necatúe calorem.
Deniq́; nil homini bacchumq́; & pocla ſequenti

Vt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Vt tu committas, ita ne committere poſſis
Vita impura monet, linguæq́ licentia cauſat.
Tetrius haud quicquam ſtygijs ſeſe extulit alis,
Ant ſuperas intrare domos, animoúe reſedit,
Ebrietate: cui dementia ſeruit, & omnis
Proditio: ſtudiumq́ fuit ſecreta per auras
Fundere, & è nullo moderari guttura uinclo.
Hæc etiam te perdit hyems & lærna malorum,
Hæc te dira lues funeſtat Perſica: cum tu
Nec ſeruare modum, monitis neq́ cedere poſſis.
Menſuram quiſquis uiolat, ſeu pocla ſequatur,
Seu Veneri aſpiret, ſeu ſubdet membra popinæ:
Intulit ingenio tenebras: caligine mentem
Obruit, ac gelidæ ſubmiſit uiſcera morti.

C. Eraſmi Michaelii Læti,

COLLOQVIORVM MORALIVM Liber IIII.

COLLOQVIVM I.

Animo, non ſexu imperia gubernari.

FERVLA. CVPRESSVS.

F. *CVm nouus hybernis ſuccedat menſibus annus,*
Mitior ac reuocet ſubigendum Taurus aratrũ:
Frigoribus uideas detergi triſtibus orbem
Extendiq́ dies, Notioq́ è piſce reduci
Fulgentes phœbi radios, umbrasq́ coire,
Et duram liquido glaciem diſcedere ponto.
C. *Indicium uitæ quoddam Ferula alta futuræ*
Hac equidem ratione uides: cum frigore primùm
Oppreſſas languere comas, uitamq́ ſilere
Cernis, & atroci gemere aucta cacumina morſu.
Mox uerò urgentes ſtimulis ceſſare pruinas
Aſpicis, & uiuas reuocari in robora flammas:
Surgere fœcundo gemmatos ſemine ramos.

Et

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Et uolucres ſtrepitu ſaliuncis ludere: demum
Et terris concluſa diu iam grana reuerti
Et proferre caput patuloq́ aſſurgere cœlo.
Efficit hæc magni uis maxima Solis: humo qui
Languida uenturis prolectat ſemina rebus:
Inducitq́ orbi faciem, quæ tota uireſcat
Rurſus, & æſtiuo recreet noua uiſcera ſucco.
Haud aliter (quid enim mortalia fata uicesq́
Commemorare uetat?) duro cum frigore languet
Vita hominum: ſeu te primis infantia curis
Excipit, ac teneros ſubmittit in ubera ſuctus:
Siue ætas quæ iuſta uirûm fortaſſe putetur
Te uehit, ac multis oneratum erroribus urget:
Deniq́ ſeu ſenium incumbit, miſerosq́ per artus
Regnat, & innumero complet tua ſecula queſtu:
Plurima dura pati lacrymisq́ madere neceſſe eſt.
Pauperies enorme malum uirtutibus, ira,
Inuidiæ macies, & fœda ſuperbia menti,
Stulticia, ac animi uirus deforme, loquacis
Garrulitas linguæ: (qua nil ſceleratius orbi
Afflarunt furiæ: tanta eſt petulantia, tantæ
Illuuies ſcelerum, & manifeſtæ in crimina uires.)
Tum morbi inuadunt, numeris non cognita certis
Progenies: infida uirum coniunctio. tandem
Ceu nihil aduerſi reliqua ſub mole fuiſſet,
Vltima progreditur fatorum linea, duræ
Mortis opus: tota cum iam compage ſoluta
Aſpera corporibus ſuccedunt frigora noſtris,
Et leuis aſcendit cœleſtes ſpiritus orbes.
Hæc ſuprema dies iterum ſub priſca reducit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Viſcera: iungenturq́ ſuis noua membra figuris
Rurſus, & in gelidos ſubitus calor irruet artus.
Florebuntq́ homines iterum, quibus oſſa ſepulcris
Iam pridem conſumpta labant penitusq́ fatiſcunt.
Haud ſecus arenti quàm cum radice uideres
Surgere formoſo lepidiſsima gramina uultu
Et uirides proferre comas: ubi nulla putares
Semina deſœto frondeſcere ſtipite poſſe.

F. *Haud tete immeritò ueteres ſuſpendere morti*
Symbola tentarunt: ita mortis iura uicesq́
Cognita cuncta tenes: quamquàm non mortis acerbæ
Tantum damna gemis, quantum miranda futuræ
Dona potes uitæ, & fructus retuliſſe uideri.
Sed tamen humanæ licet hæc ſolatia genti
Tantaq́ contingant melioris gaudia uitæ:
Haud miſeris quicquàm plantis acceſſerit. altus
Nos ſopor æternum & diræ noua mortis imago
Obruet, ac nullo nos unquam flore reducet.

C. *Mollius iſta quidem Ferula obijcienda putabis,*
Cum poſsis meliora loqui: quæ prima Tonantem
Vocibus, & ſtudio conceptæ laudis honorent.
An'ne etiam ueteres iterum ſubitura ruinas
Condita cuncta times: genus hoc mortale ſuperſit
Vt ſolum? at reliquis funeſtam obliuio mortem
Inferat, ac nullo redeant ſub ſidera fructu?
An confuſa iterum nullis Elementa figuris
Aſpicere, & rerum miſceri ſepta iuuaret?
An Chaos antiquum & primordia cæca tueri
Fasúe fidesúe ſinet? ne rurſus inania rerum
Fundamenta uelis & hiulcos fingere uultus.

Plurima

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Plurima ſupremo deterſum noueris iri
Corpora iudicio, ſordesq́; lutumq́; fecesq́;,
Et quæ uana tument detrudi in tartara poſſe.
At non & rerum facies pulcherrima prorſus
Vna etiam dilapſa ruet, penitusq́; peribit:
Sed blandus quidam magnæ telluris in artus
Inſinuet calor & totis ſe humoribus abdet:
Vnde ſuum rurſus mundo genus. haud mihi noſtram
Neſcio quam fingas glabra ſub imagine terram,
Omnibus aut reuoces exutum floribus orbem.
Terra manet, dum terra manet: ueteremq́; decorem
Accipiet, ludetq́; comis priſcumq́; receptet
Libera facta ſtatum, regnoq́; erit aucta perenni.
Nulla quidem deinceps incuruo robora libro
Creſcere poſſe putes: ſed quo ſe attollit in auras
Cannabis, æquato dum ſtipite pergit & aptos
In numeros totam ſine flexibus induit aluum:
Hoc ſeſe arborei fœtus herbæq́; uirentes
Extulerint: curui quòd pòſt neq́; forma, nec uſus
Sit ligni, & nullis inſcripta erit artibus arbos.
Nam nec in æquoreas ueniet ratis amplius undas,
Nec domus extiterit, nec flammis pabula prendas:
Deniq́; nec ſacris ſuperaddere culmina templis
Iuppiter ipſe ſinet. templum hoc erit undiq́; cœlum
Quo tegimur: cuius complexu ingentibus aris
Obtulerint herbæ redolentes balſama laudes.
Ara omnis ſiet herba: Deum qua quiſq́; parentem
Noſcat, & æternos bona uera inflectet in uſus.
Intrabitq́; dies multò gratiſſima: quam tu
Iam toties optaſſe bonos, totiesq́; petiſſe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Ignorare nequis: cum ſcilicet aſpera cedant
Omnia diuinæ, quæ uenerit aurea, uitæ.
Hîc nouus orbis erit, terræ noua forma poliq́;
Et maris. exſpirentq́; niues flatusq́; tumentes,
Et morbi, & ſenium, & miſero dolor obuius æuo.
Aſt æterna quies ſuperaq́; obnoxia laudi,
Vnica cura bonis atq; anchora ſacra, manebit,
Angelicosq́; inter cœtus & prima deorum
Agmina uerſari mortalia pectora credas
Poſſe: & deterſis lacrymisq́; & luctibus omnem
Cum ſuperis uitam cœlo coniuncta tueri.
Hæc eſt humanæ uictoria gentis, & uni
Adſcribenda Deo fiducia. uincere ſi uis,
Vince Deo, uerisq́; animum uirtutibus orna.
Interea hoc quodcunq; mali eſt, Patientia frangat:
Quæ uel diſsimulet, uel perferat ardua. Si quid
Durior obijciat caſus tibi, læta bonorum
Euentu, ſi quid ſapias, contemnere pergas.
F. Magna equidem, nec nota ſatis mihi dicta profaris
O ſoror. audenti circum faſtigia rerum
Ferrier, aſpirant ſuperi, mentemq́; futuris
Imbuit aura bonis, rectumq́; in pectora mittit.
Te uerò admiror, quæ cum tibi ſola miniſtret
Fœmina, ſublimis tamen alta cacumina pandas
Luxuriesq́; comis: foliumq́; attollere poſsis
Celſior, & lætis ſint grata cacumina ramis.
Noſtra uirûm manibus quamuis curentur & arte
Pignora, difficili creſcunt tamen ædita partu
Et nimium ſegni ueniunt mihi ſtipite gemmæ.
C. Haud mirere, equidem diuis authoribus hanc nunc

Virgo

Virgo puella gerit ſolerti pectore curam:
Vt nos conſilio ac animi uirtute per omnes
Excitet articulos, rerumq́ in culmina firmet.
Vir tuus ille horti cuſtos, quia ſegnior alto
Incubat officio, raroq́ accedit & atram
Deterius curat iam merſam uligine terram:
Vel ferulæ inducit gelidiſsima funera mortem:
Vel certæ ſternit uentura pericula morti.
Qui minus ingenuo quæ ſunt commiſſa laborè
Curat, & ignaua tractat ſua commoda lance:
Is rerum formas & celſa cacumina fato
Obijcit extremo neglectaq́ robora perdit.
Eximium toti quiddam eſt induſtria mundo,
Cui labor, & rerum quæcunq́ uolumina cedunt
Inſcribuntq́ boni memorandæ præmia laudis.

F. *Heus, etiam teneræ num quæ res ulla geratur*
Virginis auſpicio? uolucri an non dextera fuſo
Militet, ac molli famulentur brachia penſo?
Scilicet iſta decet rigidos induſtria tantùm
Prima uiros, ſarrire ſolum, ſubducere glebis
Noxia, & in totos immittere commoda ſulcos.
Interea ſeruet miſeros ignaua penates
Fœmina, nec quicquam pueros niſi norit alendos,
Et garrire ſonis & ſpargere iurgia dicto.

C. *Hæc equidem uetus eſt multorum iniuria, ſexum*
Carpere fœmineum leuibusq́ inceſſere ſannis:
Prorſus inutilibus ceu natum rebus haberi.
Cum tamen ipſi etiam qui magno ſæpè boatu
Hoc agitant, crebris experti fructibus eſſent:
Plurima fœmineis exiſtere commoda dextris,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Siue ea rura colat, populos ſeu cauta gubernet.
F. Proh quantum cæca mortalia pectora noctis,
Et cladis quantum ſceleratas crimine mentes
Occupat? an' ne tibi perſuaſum ſubdola credam,
Fœmineis etiam florere negocia dextris:
Et genere hoc ullum ſubnaſcier utile poſſe?
Tu quia Virgineos experta ſalubriter ignes
Extuleris quæ tu poteras cupijſſe uideri:
Iccirco ingenti celebras ea fœmora laude,
Et tua magnificis Encomia uocibus auges.
C. Vt nihil inuidia ſceleratius intulit orbi
Tiſiphone. Quid enim? mea ſi gratiſſima caſtis
Omnia ſunt nymphis, & odoribus æthera tangam:
Nunquid propterea quæ ſunt tibi uera fateri
Me uel poſſe neges, uel non audere putabis?
Deſine me ueſtri ſimilem iam fingere. Sis tu
Grata aſinis, pecoriq; feras ſua pabula turpi,
Arcadicoſq; greges & ſegnia corpora paſcas.
Me iuuat & nymphis blandiri mollibus: & nos
Inſinuare bonis, uiridiq; cacumine lætas
Pandere in arua comas longamq; agnoſcere uitam.
F. Scilicet ut miſeris longum eſt mortalibus æuum:
Aut diuturna bonis promitti ſecula poſſint.
Solum equidem hoc lõgum eſt, minimũ quod uiuitur. an' non
Grata uides medio florere papauera campo
Et rutulas proferre comas? quid pulcrius iſtis
Interea mirere, quibus color ipſe decorem
Auget? at imbelli ſubſtant ea munera fulcro,
Infirmoſq; ferunt in germina mollia neruos.
Incidit eoo rigidus ſpiramine uentus

Incubuitq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Incubuitq; ſolo trepidasq; inſurgit in auras
Excutiens, ſpargitq; comas uiduatq; colores
Stirpibus, & pulcros diſſoluit in aera uultus.
Haud aliter, quæ tute uocas longiſsima, paruo
Momento quaſſata ruunt. cœleſtia tantum
Patrono ſunt firma Deo: ſors aſpera noſtros
Verſat & atra dies: quantumq; ſub ultima tendis,
Tantum etiam uarijs obiectas fata periclis.
Non res una premit miſerum mortalibus æuum:
Nec labor unus agit. uita eſt incerta, proculq;
Quod tu cunq; potes rectum contendere, ceſsit.
Nunc ignis, nunc unda furit: nunc terra fretumúe
Noxia creſcenti ſubmittit pabula ramo.
Deniq; nil ueteri perſtat uirtute: labaſcit
Mens etiam, ac grandi ceu uulnere ſaucia languet.
Omnia mutantur, dubiamq; pericula uitam
Multiplicata grauant primisq; laboribus urgent.
Perculit una igitur noſtram ſententia mentem,
Fœmineis equidem nil poſſe laboribus inter
Mortales peragi: quod quis fortaſſe uehendum
Laudibus, & grato memorandum gutture narret,
Si uix ulla uiros ſuſtentat gloria: quid ſe
Fœmina iactarit? fortaſsis amoribus acres
Subijciat ſtimulos Veneriq; aſſuerit. at arma
Tractare, aut operam regnis dare: ut omnia iuſto
Integra ſint fructu pacemq; palatia ſeruent:
Hanc neq; poſſe putes: nec quæ culpaueris, ornes.
C. Multa quidem miſcens cumulas opprobria, multis
Fœmineum genus exagitas ſcelerata loquelis.
Deſpue conceptam ſuccenſo pectore bilem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Et propius quæ uera uide. ceu feruida puppes
Tempeſtas agit auerſum laceratq́; profundo:
Sic animum rapit ira, feroſq́; accendit in æſtus:
Et uetat humano quod rectum eſt, cernere uultu.
Aut ego quid primùm obijciam, cum plurima tute
Sugilles odijsq́; premas & morſibus inſtes?
Id mihi non recta perpenſum lance uideris
Effutiſſe, malis obnoxia ſortibus: eſſe
Iam nihil, ingenuis quo ſeſe motibus orbi
Fœmina commendet: ſed pondus inutile mundo
Viuat, & haud aliquod patrijs decus inferat armis.
At uerò errores ita demum agnoſcere poſſis,
Si ſceptris mentem, ſi ſexum lapſibus addas.
Attulit imperijs non protinus ille ſalutem:
Quem te fortè uirum conſpecto cominus ore
Dicere poſſe putes: cui circum plurima mentum
Barba uolat, toruoq́; iacit fera lumina uultu.
Altius ire decet primoq́; à fonte tueri,
Vnde quidem ueniant populis bona: quidúe ſalutem
Intulerit patrijs optandaq́; fœdera regnis.
Ex animo pendet ſceptri uis. ſcilicet altæ
Cum Virtutis opus primas tenet. illa uetuſtis
Ceu ratio titulis noſtros cumulare parentes:
Sic eadem, ſi tu uirtutes ritè ſequare,
Et factis leges, & legibus addit honores.
Hæc ſunt prima quidem ualidis fundamina regnis:
E` quibus eximio ſcaturit ceu fonte, ſalutis
Anchora, qua populi columen morumq́; uenuſtas
Principibusq́; uiris retineri gloria poſſit.
Extra animum eſt quodcunq;, furoribus horret & ira,

Permiſcetq́;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Permiſcetq́ operi ſcelus, & contaminat omnes
Factorum titulos, populiſq́ pericula gignit.
Quid uetat imperijs igitur ſuccedere ſexum
Fœmineum, ſi recta probet, ſi iuſta ſequatur:
Deniq́ ſi bonitate animi, ſi pectore præſtet
Conſilijſq́ bonis. decorat prudentia mentem
Et facilis populorum aditus: legumq́ poteſtas
Imperijq́ modus, nuſquamq́ excedere recto,
Nec ſpe lactatas inuoluere luctibus urbes.
Quid beluas memorem, quas inter plurima longè
Fœmina præcellit? horrendis uocibus omnem
Buccula conturbat campum: ſpoliata catellis
Vrſa furit: ſæuo graſſatur dente Leæna:
Deniq́ nulla ſuo non fulta eſt beſtia lucro,
Munera ſed ſua quamq́ manent, ſua quamq́ uoluptas
Et Natura trahit rebusq́ inſcribit amicis.
Omnia non igitur poterit natura uideri
Indulſiſſe uiris: aliqua eſt quoq́ portio qua ſe
Commodet officijs ſuſcepto fœmina regno.
Prouidet, inquirit, partitur præmia rectis,
Bella gerit, ſolerſq́ graues moderatur habenas,
Supplicijs prauos caſtigat: temperat omnes
Pectoris articulos, ne quid committere poſſit,
Quod minimè faſces deceat, quod gloria culpet.
An tibi nulla tuas peruenit fama ſub aures
Aſſyrij quondam populi, ſtudioq́ ferocis:
Scilicet auſpicijs ſe cum cœleſtibus armat
Illa deûm ſoboles, primum quæ dicitur altam
Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis urbem,
Fœmina nónne fuit? fuit unica fœmina cuius

B *Conſilijs*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Conſilijs patrio res geſta eſt maxima regno.
Quid Pandioniæ memorem genus Orythiyæ:
Lampedamúe domi claram ſtudijsq́; uacantem,
Cum ſoror Armenos populatur, & omnia circum
Regna domat, ſpolijsq́; furit Marpeſia raptis?
Quid referam Hippolytam? Troiani tempore belli
Pentheſilæa fuit, toti tum cognita mundo,
Nunc nomen clarum ſupereſt, quod durat Achilli
Coniunctum, magnosq́; inter ſtat fama poetas.
Aut quis Zenobiam certataq́; prælia neſcit,
Perſarumúe Duces: altum quibus illa Monarchis
Impoſuit Regina iugum: cùm pectore forti
Conſilijsq́; ſimul rectis præſtaret, & omnes
Impleret uario bellorum fulmine gentes?
At quorſum externæ conſector imaginis umbras,
Quidúe procul quæſita peto? ſi forſitan omnes
Euomat in præceps, retroúe feratur in undas
Gudius, & fractis deſiccet flumina ripis:
Non tamen & uirtus Margretæ ampliſsima noſtræ,
Aut decus induci rerum caligine poßit.
Illa fuit quondam fœlixq́; ac inclyta regis
Filia Valdemari: quo non ſolertior alter
Aut curare bonos, aut ſternere cædibus hoſtes.
Sed tamen hæc patrem ſtabili Regina triumpho
Exſuperans, triplici uelauit tempora lauro
Et iunxit patrijs diademata Suetica regnis.
Vtq́; breui tantum complectar maxima dicto,
Albionum populos & Sceptra Britannica cerne,
Cerne uiros regniq́; ſtatus, quo principe, quali
Nunc dextra, & quanta demum uirtute regantur.

Qualiter

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Qualiter aſtrifero rutulant noua ſidera cœlo,
Præcipuis tandem quæcunq; coloribus ardent.
Cum uicina Ioui patrios Venus aurea currus
Suſpicit, & blando ſtellarum cardine regnat:
Anglia non aliter rerum ditiſſima ſacros
Iam latè titulos & ſceptra nitentia pandit:
Virgineo poſtquam cæpit diademate lætos
Ferre ſub aſtra dies pacemq; inducere regnis.
Quin plures etiam populos, & plura referre
Regna potes: quæ fœmineo moderamine faſces
Inuicta proferre manu: ſeu pacis honeſtæ
Facta colunt, belli ſeu iura uicesq; ſequuntur.
Quanquam multi etiam non grata id mente ferebant,
Imperio frenaſſe uiros: quæ fœmina uerè
Vtiliterq; etiam rexiſſe palatia poſſet.
Sed bona noſtra quidem cum ſunt præſentia pauci
Nouimus. amiſſis ita demum hac lege mouemur:
Vt ualde optemus dilapſaq; lucra probemus.
Vno equidem miſeri: quòd deteriora putemus
Eſſe ea, quæ noſtras implent iam proxima lances.
Cætera laudemus quæ ſunt abſentia. uerùm
Multò aliter rerum tibi Rana loquacula formam
Pinxerit: æthereo quæ lapſam ex orbe repellit
Contemnitq; trabem ſegniq; illudit: ut in quo
Principe nil uitæ quicquam, nihil indolis eſſet.
Regem igitur ſuperos alium, qui uiuere poſſet,
Poſcit: ut & ſciret uicinia, Regibus uti
Ranas, ac aliquo uitæ regat arduus uſu.
Ingratis facilis Deus eſt cum ſtulta petuntur.
Nec mora. ſidereo delecta Ciconia cœlo

Mittitur: ut Ranis decernat iuſta: geratq́;
Has inter turbas ſceptris æquiſsima regnum,
Vt uenit, uita uenit comitante: dabatq́;
Indicium, fruſtra neq; ſollicitaſſe Tonantem
Ranas, nec ſtolidum ranis dare numina regem:
Sed qui iure quidem imperitet, quo ſcilicet ille
Iure regat: cui ius definiat enſis & ingens
Ingluuies, fœdo quæ ſola eſt gloria regno.
Sed quorſum feror? euentu iam deniq; latè
Conſtat, fœmineis etiam uirtutibus orbem
Florere, & meritas in facta exiſtere laudes.
Non igitur ſexum damnaueris improba, magnum
Sæpè quidem è tenui perrumpit origine flumen,
Ac humiles inter ſuccreſcunt robora uepres.
Forſan ubi humanæ minus eſt uirtutis: ibi aſtra
Et plus poſſe deos. imbelli Iuppiter addit
Conſilium, & miris tenues ſucceſsibus ornat.
F. *Neſcio quî uulgò tamen id plerumq; feratur,*
Non ita ſolertes in magna negocia cœtus
Viuere fœmineos: nihil his committere tete
Poſſe, quod eximia perfectum laude celebres.
C. *Te miſeram, cui ſic ſtolidi dementia uulgi*
Impoſuit. pudeat tantis te erroribus actam
Et procul à uero deceptos flectere ſenſus.
Qui uulgo ſeruit ſtygio ſe mancipat orco:
Inducitq́; animis lapſus, & plurima fictis
Taminat acta modis uarijsq́; laboribus errat.
Qui potis affectus dubiæq́; uolumina linguæ
Sic regere, ut ſancto conſentiat undiq; recto,
Nec morbis animi uetitos ſe fundat in ignes:

Hic

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Hic ſapit, hic iſte eſt merita qui laude uehatur.

COLLOQVIVM II.

Gloriam expetendam eſſe.

RVBVS. PINVS.

R. *VT nihil audaci ſatis eſt animoq́; ſuperbo:*
Quem ſimul ac tumidis Rhamnuſia motibus inſlat,
Nec moderata capit, nec ſe mediocribus implet.
P. *Quæ tibi nunc demum mouet hunc Rube cauſa dolorem,*
Quidúe moleſtat agens animum & tua pectora turbat?
Omnia iam pridem de te mihi grata putaui
Expectanda: quòd hoc etiam ceu fœdere ſtares
Iuncta loco, pariterq́; dolens tua frigora ferres,
Plurima uicinos inter ſociata uoluntas
Regnet, & haud ficto ſe complectantur ab uſu,
Officijsq́; uacent: rerumq́; pericula, quantum
Ex ſe quiſq́; poteſt, fraterno à limine pellat.
An tete inuidia ſtatuam torquerier: ut qui
Indignere comas mihi ſerpere longius, & iam
Optatas noſtris induci frondibus umbras?
R. *Non ego te inuidia, creſcentem perſequor: altè*
Surgis, & ut ſurgas conniti ſedula poſſis.
Aſt animum damno ſemper maiora ſequentem
Ingeniumq́; procax, cui nec cultura, nec æui
Conditio potis eſt moderatam immittere mentem.
Sponte quidem naſci tibi contigit alta, comasq́;
Spargere multiplices & uendere germina fructu
Eximio: tamen hîc ceu nil melioris adepta

Naturæúe lociúe ſies, cuſtodibus inſtas
Transferriq; cupis patuloq; in colle locari.
Cum tamen ipſe humili nunc ſim contentus agello,
Nec ſublime ſolum, nec uelli ſedibus optem.
Qui ſeruare modum medijſq; inſiſtere poßit,
Et minimè ingentes induxerit ignibus Euros,
Hic ſapit, hic ſtolidi uicit ludibria uulgi
Fortunæq; dolos. modus eſt pulcherrima uirtus.
Vltra quem citraq; nequit conſiſtere rectum.
P. *Longè aliam rebus menſuram praua furensq;*
Decernit natura, aliosq; inſcribere fines
Officijs ſatagit: quàm quos mens recta deusúe
Approbat, aut quales magnis ſucceßibus addit.
Tu quia deformi ſuccreſcis corpore, uaro,
Hirſuto, & ſpargas denſis tua brachia ſpinis:
Culturæ contemnis opus dextramq; coloni
Auerſata, parum recto uideare moueri,
Et curare parum quanta tu clade labores.
Stas humili tantum fultus tellure, iacentq;
Conſtrati folijs rami paßimq; uagantur
Intonſi, duroq; ferunt ſua robora callo:
Sordida quo natura ſolet plerunq; rigore
Ingenij turpis deformes pandere uultus.
Propterea effreni me damnas ore, iacisq;
Scommata dura comis, & facta inſignia mordes.
Aſt ego diuerſo me tramite libro, nihilq;
Hac patior ſtulta uerborum claſſe moueri.
Gloria præſtanti res eſt optanda, nihilq;
Hac melius toti poterant dare numina mundo.
Huc ego connitor ſtudijs: hæc ſuſcitat omnes

In

In nobis creſcendi aditus, cœloq; iacentes
Intulerit ramos ſuperisqúe accommodat auris.
Ni mihi languentes mouiſſet gloria curſus,
Et poteram tecum depreſſa in ualle morari,
Et poteram ſpretas telluri innectere frondes.
Nunc honor accendit mentem, laudumqúe decore
Sollicitat, ualidoqúe rapit mea pectora motu:
Vt cupiam celſo frondere cacumine, celſas
Pandere in arua comas, & robora celſa tueri.
R. *Cur uitio indulges, raptatqúe ſuperbia mentem?*
Ipſa quidem ſeſe uirtus contenta, procaces
Faſtidit titulos, gaudetqúe incognita multo
Prodere ſe fructu, neq; nomine turget inani.
Commoda nónne uides quæ nos in rura domosqúe
Plurima partimur? tamen hîc iactantia nulla eſt,
Gloria nulla: ſinu tacito gaudemus, & uſus
Quos præſtamus agris, cupimus prodeſſe colonis.
P. *Non ea concinno iungis tamen omnia nexu:*
Nec ſatis hæc animis perpendere munera noris.
Nam quid uirtutes excelſaqúe facta celebras,
Si te nulla mouet præſtantis gloria famæ,
Nec trahit illuſtri te res penſanda triumpho?
Gloria uirtutem ſequitur, factumqúe coronat
Quod uirtute geri ratio non ficta probauit.
Hoc populus cum laude uehit, iam gloria creuit:
Alteriusqúe bono uirtus ſibi præmia duxit.
Expetat hanc Sapiens, ſua quæ benefacta probari,
Expetat. ingenuo contendere ad optima motu
Non niſi uirtuti ſtatuas contingere poſſe.
Sicut & exorto ſuccedit in æthera Phœbo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Splendor, & hunc noſtrum colluſtrat lumine mundum:
Sic opus eximium ſequitur ſua gloria, uirtus
Quo depenſa bono ceu grato fine quieſcat.
Aſpice cum patriam Thraſybulus liberat urbem:
Cum Latium redimit deuictis Scipio pœnis,
Et ſpoliat Gallos reparato marte Camillus:
Hæc num facta geri tantum, & non uoce referri
Laudariq́ decet? patria eſt indigna ſalute,
Quæ tantam merita non prædicet ore ſalutem.
Hunc bonus omnis amat uerumq́ expoſcit honorem,
Huc animi contendit opus, uirtutibus inſtat:
Aurea uirtutum nanciſci ut præmia poſſit.
Quid memorem quantam ſortita eſt Filia laudem
Vbere quæ matrem rigido ſub carcere pauit?
Et pius Aeneas laudari dignus, edaci
Qui flamma preſſum medioq́ ex igne parentem
Extulit Anchiſen, tutaq́ in ſede locatum
Aeternæ comitem ſecum uirtutis habebit.
Gloria quapropter non inſectanda petulco
Ore fuit. Non hanc uitium, non ocia gignunt,
Sed Virtus parit, ac populi ſententia firmat.
R. *Hæc igitur cum ſe contingant mutua, quorſum*
Hîc ope cuſtodis tete curarier optas?
Et per te creſcas, & per te corpora firmes.
P. *Non ea rectè etiam Rube perſpicis. alta tuere*
Flumina decliues quæ ſpontè feruntur in undas,
Atq́ ultrò lapſum loca per depreſſa ſequuntur.
Hæc tamen optato ueniant ut mollia curſu,
Et ſatis æqua meent: ualidis perſæpè fuerunt
Obijcibus ſtringenda ſuisq́ inhibenda ruinis:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Ne populos damno afficiant, & latius errent.
Res Equus eximia eſt: ſed ni parere lupatis
Diſcat, & arbitrio generoſos flectere curſus,
Optari nequeat. Decus eſt inſigne beata
Indole laudari: naturæ & uiribus uti
Egregijs, aliquaq́ Deo ratione probari.
At ſi etiam monitor prudens acceſſerit, omnes
Qui regere imperio mores & flectere poſſit:
Magnificum certè tum primùm exſurgere quiddam
Aſpicies: cuius ſi dijs authoribus æuum
Aſſcribas, rectè potes id ſtatuiſſe uideri.
Omnia doctrinæ referas momenta. parúmne eſt
Aut monitis mores, aut ui compeſcere mentes?
Sit mihi, fœlici deinceps cultura Magiſtro,
Sit coma ſublimes quæ prouocet ardua Cedros
Aſpiretq́ polo. faueas ſi iuſta ſequenti,
Meq́ Sororem etiam non duris uocibus ornes:
Et tibi propitios in germina proxima diuos,
Et folijs placidos ſanè experiere ligones.
Officium quo more colas, hoc more receptes:
Et uenient parili ſemper tibi præmia lance.
Qui remoram obiecit properanti ad magna: uiciſſim
Sentiet obÿcier remoram ſibi. numina iuſtis
Aſpiciunt oculis, fatumq́ tuetur olympus.

COLLOQVIVM III.

Priuato commodo publicam utili-tatem interire.

AQVILA. GRYPHVS.

A. Plurima te Gryphum uulgi ſententia damnat,
Plurima te abſoluit: neq; enim conſtante bilance
Res tua tam dubijs populorum uocibus audit.
Mirum eſt cum uaria ſis beſtia ſorte, uiceſq;
Nunc uolucris ſubeas, nunc fului membra Leonis
Quadrupedumq; gradus imitari corpore poſſis:
Non etiam te tot petulantis uulnera linguæ
Aut cautum uitare, aut fortem uincere poſſe.

G. Credo ego multipliciq; malo, uarioq; dolore
Naturam moreſq; premi. mendacia longè
Imperium complexa, alios uirtutibus ornant.
Deformant alios: quæq; in contraria poſſent
Traduci, fractis ſubuertunt uera tabellis.
Non ea maiorum ſtudijs fideiq; parentum,
Nec poterant ueteri placuiſſe impendia mundo.
Quæ ſunt uera, bonos deceat laudare. profectò
Falſa loqui, mens iuſta negat. iam militat orbi
Colluuies ſcelerum, quantumq; ſub ultima tendas
Climata, deformes tantum mirabere uitas,
Antiquoſq; dies & facta antiqua requires.
Maxima maiores hæc inter cura fuiſſet,
Fortiter ut pugnare manu, ſic parcius ore
Dicere, & effreni conuellere facta labello.

Nunc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Nunc alios hæc uita ſerit gelidiſsima mores,
Vt cum dextra parum ualeas, ſit multa loquendo
Virtus, & ſummas iactantia deuoret urbes.
Non igitur ſola eſt nunc mendax Græcia (quamuis
Ex alio fortaſſe etiam ſiet ordine mendax:
Et fictas ducat ſub uerba ſequentia formas)
Sed lato uitijs proſpectum eſt fœdere: ſeu quòd
Iam precio uirtus careat: ſeu plurima iam ſit
Ingenijs merces: quæ magno fallere poſſunt
Ingenio, & blandis fucum facere artibus orbi.
Deniq; quid iuris technas memoraueris: ut quæ
Iuris uita ſient? nil iure eſt ſanctius. at ius
Huc demum elapſum eſt: ut quod placuiſſe uideri
Poſsiet, id Iuris fœlix ceu norma colatur.
Hanc ego nunc rerum formam probo. cætera ſi quid
Errarint fortaſſe, parum eſt quòd uocibus errent:
Si nihil errarint animis, nil legibus errent.
Hos ego præcipuis dignabor honoribus: hanc qui
Quam modò conſector, defendere fortiter audent
Propoſiti metam: tanquamq; è iure manuq;
Conſertum ſtatuant, quod capto tyrannide regnum.
Aſt Aquilam finxit rectum natura, ualesq;
Iudicij bonitate, potesq; uel omnia ſolus
Quæ conſperſa luto ſordent, detergere, & æquum
Iam malè protritis inducere rebus honorem.
Fare igitur quo me tandem tu pectore Gryphum
Et mea facta capis. Si te nos iudice cauſam
Vincimus, arbitrijs æqua eſt ſententia noſtris.
Quòd ſi nos damnes, iubeasq; excedere facto,
In prædam ueniat gens improba, ſitq; per omnes

Iam patefacta aditus uenturo ianua damno.
Me iugulent, aurumq́; ferant, rapiantq́; labores,
Vnoculiq́; truces aliena laude fruantur.

A. *Vt minimè facile eſt, cùm ſit ſententia diſpar,*
Eligere, in cuius te pondera mittere poſſis?
Argumenta quidem non te uulgaria damnant:
Rurſus & haud leuia indicto te crimine ſoluunt.
Vt quiſq; eſt hoſtis, uel amica lege benignus,
Sic tua facta uehit, dubiaq́; examinat urna.
Hi priuata quidem te conſectarier aiunt,
Publica nonnulli referunt tibi commoda. quid me
In tantis uolucrum clamoribus utile cenſes
Condere iudicium rebusq́; inſiſtere poſſe?
Iudicium formare graue eſt: ubi quiſq; potenti
Pugnat in acta manu, quantumq́; in ſingula tendas,
Tantum equidem tete rapit in diuerſa uel error
Vel fauor: aut rebus quæ ſunt æquiſſima, cogunt.
Vt tamen & conſtet quo res tua more laborat:
Et quid agens odij tantum contraxeris, ut te
Mortales inuiſum habeant, & facta cauillent,
Fare age, & haud aliquo celes tua crimina fuco.
Non fruſtra ſurgit ſpectandus in æthere terror,
Nec leuis eſt fulicas toto quæ cauſa profundo
Exigit, ac primis faciat conſiſtere ripis.
Cum fumum ſpectas, iam mens pauet anxia flammam,
Indicioq́; rudi uenturos colligis ignes.

G. *Haud mea tete Aquilam uel conſuetudo latere*
Vel natura poteſt. patrio mihi ſemen ab artu
Sic uenit, ut patrios nequeam contemnere mores:
Conſtanterq́; etiam proprium eſt quodcunq; tuebor.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

An ſua deſtituit feritas Lupum? an ætheris alti
Flectere quis curſus prohibereq́ lumine cœlum
Poßit, & innatos Phœbo compeſcere motus?
Vt fluit, obiecto cum non aqua fine prematur,
Sic mea me natura rapit, tueorq́ parentum
Maiorumq́ fidem: pariterq́ hoc more uetuſtos
Sector auos, patriamq́ domum, ſtudiumq́ Nepotum
Inſtruo, & in ſobolem mea facta domeſtica fundo.
Scis autem quantis Arimaſpi fraudibus uſi
Has paſcuntur opes, partumq́ laboribus aurum
Hoc noſtris rapiunt, raptumq́ Tyrannide portant,
Eruta nos magno tandem ſudore cauernis
In lucem uehimus fulgentis grana metalli.
Hoc Arimaſpus opus medio deformis ocello
Semiuir, extremo populorum fine moratus
Auferet, ac ſtudio fœlix ſit beſtia noſtro?
An' ne tuas unquam peruenit fama ſub aures,
Indica quo demum ſtudio formica labores
Diuitiasq́ ſuas atq́ aurea grana tuetur?
Et nobis etiam uires natura feroſq́
Vulnera in alta dedit conceptis motibus ungues,
Non ſobolem Tygris, non partum ſæua Leæna
Deſerit. iniuſtum eſt hoc te gaudere, tueri
Quod nequeas. Vitam fas ſit pro laude paciſci
Proq́ bonis, dubiæ quæ ſint fulcimina uitæ.
Hercule crudele eſt alienam carpere laudem
Et quæ tute paras ſtolidis bona dedere fucis.
A. Multa quidem fari iuſta mihi lance uideris,
Multa parum recto ſermone procaciter addis.
Publica nequicquàm priuatis commoda rebus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Fas miſcere ſcias. ſi te natura creatum
Propterea magnis armauit uiribus, omne
Vt ſoli uiuas æuum tibi: carpere quis non
Penè etiam iniuſtæ naturæ ſemina poßit?
Hæc ne eſt quæ noſtros multo ſudore labores
Exercet: cum uel prolixo præda uolatu
Conquirenda ſiet: uel ſi fortaſſe moremur
Paulò etiam melius, uaſtis tamen ardua ſyluis
Tecta ſtruam, & gelidæ ſubmittam corpora nocti?
Et tamen interea, quantum licet, omnibus unus
Conſulo. Si prædæ quid forſitan incidit, illud
In medium ueris collatum legibus addo.
Te uerò ſceleris populus iam poſtulat: ut qui
Inuidus officio, fallax, & inutilis extes:
Nec tua communes reddas bona teter in uſus.
Vix ita uel ſonitu exigua eſt, uel paruula roſtro
Vlla auis, officio quæ non tibi ſeruiat: & ſe
Vſibus humanis diuerſa in munera iungat.
Aſpice Fringillos, quidq; iſta Ficedula poßit
Vocibus: aut quantis ſe motibus aurea Alauda,
Exili quamuis ſit prædita corpore, uectet?
Hæc ſegetes inter cum nido aſſueſcat, amatos
Excludit pullos, primisq; informat ab annis:
Vt lenire ſonis uariareq; cantibus ora
Et ſata luſtrantem ſatagant mulcere Colonum.
Quid referam quantos minimus quoq; Paſſer in uſus
Errat agris, circumq; domos & rura uagatur?
Non equidem ſimili uox huic dulcedine miros
Alterat articulos: ſed publica commoda ſpectant
Pectora: & Erucas, ac diros uulnere Bruchos

Muſcarumq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Muſcarumq́ greges, Culicesq́ uagasq́ Locuſtas
Plurimaq́ haud timidis inſecta laboribus aufert:
Omnia quæ uitas hominum fructusq́ fatigant,
Et dulces flores, & agros populantur amœnos.
Quid Sturnos memorem, quid dulcis roſtra Cicadæ,
Clorida quid dicam? nihil eſt ita corpore paruum
Quod non communes quantum licet, ardet in uſus,
Humanoq́ etiam deſeruit moribus æuo.
Solus at inuiſum te præſtas Gryphe, proculq́
Communi tua lucra bono ſubducere tentas:
Quæq́ ſolo quæris, ſoli tibi dona reponis.
Et tamen hoc homines magnus præſtare uolebat
Iuppiter: ut terram ſubigant, terræq́ medullas:
Et ſi quæ diti concludit in ubere tellus,
Omnia poßideant. rectum eſt ceßiſſe Tonanti
Et parere Deo: qui te mortalibus ultrò
Subijcit, ac totis ſeruire laboribus urget.
Huc uires artemq́ feras: homo poſcere tete
Iure ſuo lucrum quæſitaq́ commoda debet.
Omnia penè quidem ceu fracto cardine languent,
Et ſubuerſa gemunt: quia nullo publica florent
Amplius officio. res eſt priuata per omnes
Quæ tete articulos, & lucra per omnia uoluit.
Maiorum certè quondam uirtute uigebat
Communis tutela boni: quo tempore ſumma
Cura fuit, patriumq́ decus, patriæq́ ſalutem
Aſſerere, & cunctas aperire in commoda mentes.
Nunc priuata quidem rerum compendia priſcos
Euertunt mores, quæq́ in commune referri
Deberent, ſtudium eſt proprijs aduoluere tectis,

Et ſua neglecto ſectari lucra Tonante.
Aut quid Gryphe petis rutulo cumularier auro,
Cùm tibi nulla quidem tanto uel pondere ſurgat
Commoditas, uel te congeſto ex ære beatum
Reddere fama poteſt? quod nil tibi conferat, iſtud
Si ſapis, haud aliquo ſectandum iure putabis.
Hæc ſunt fœlicis pulcherrima munera uitæ,
Et res poſſe bonas ſtudio nanciſcier, & quod
Nactus, in haud uanos te poſſe reponere fructus.
Acceptas Arimaſpus opes tua lucra remittet
Vſibus humanis. Dij quanta eſt gloria, poſſe
Vſibus humanis ſtudio prodeſſe. Tonanti
Res ea ſidereo grata eſt: laudemq́ meretur
Officio, & ueris inſcribit honoribus æuum.
G. *Haud equidem inficias ueniam tibi: nec mea tecum*
Certarit, quanquàm uis ſit mihi maxima Grypho.
Non tamen & facile eſt naturam flectere, miro
Robore ſtat ſubnixa, nihilq́ à ſemine pelli
Suſtinet. aut quorſum referam tua furta tuasq́
Inſecter prædas? Studio quo publica curas
Notius eſt, quàm quod poßit iam ſtulte negari.
Quin pridem raptu infamem te ruſtica damnant
Prædia, & haud temerè lacerant tua facta coloni.
Teſtor ego Agniculos porcosq́ anatesq́ minusq́
Id pecus, immani quod raptum gutture dirus
Excorias, auidoq́ infers ea uiſcera uentri.
Id curare quidem non eſt iam publica: ſed quæ
Publica ſunt, priuato equidem ſubuertere lucro,
Cum te latronem tua facta oſtendere poſſunt.
A. *Vt natura nihil fruſtra eſt molita? quod imo*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Pectore uirus alis, mendaci dire labello
Euomis, & ſalſo petis hæc mea uiſcera morſu.
Non Aquilam certè finxit ſors aurea uanum,
Ignarumq́ boni. cunctas ego Gryphe uolucres
Imperio complector: & hæc mihi maxima certè
Gaudia ſunt, auium gregibus ſua iura tueri:
Et quodcunq́ quidem ualeam uel lege, uel auſu,
Has noſtras inter partiri ut lucra uolucres.
Quantum igitur tali me fas pro munere credas
Poſcere poſſe? famem' ne feram? peream' ne uidendo
Et patiendo ſimul? onus eſt plerumq́ præeſſe
Imperio. magnis nam rara laboribus addit
Præmia iuſta, fides. ſatis eſto, fatiſcere curis:
Ne ſimul & merito princeps ſpoliabere uictu,
Incertamq́ feras patria ob certamina laudem.
Fas igitur captaſſe putes, quod Principis annos
Auxerit, ac claros faciat ſupereſſe Monarchas.
Non alia ſtant regna baſi, quàm uoce Tonantis
Et populi plauſu. Deus eſt iuſtiſſimus ultor
Patrati in Regem ſceleris: qui fulmina ſæua
Concutit acta manu, fraudesq́ rependit auerno.
Præterea ſi quem tribuunt mihi paſcua raptum,
Non noſtro tantum ſeruire ea munera uentri
Suſtineo. Humanum cunctis decet eſſe Monarcham,
Et ſua lucra bono multorum inſcribere Regem.
Non igitur quemquam patior, qui noſtra ſecutus
Caſtra colit, nulla donatum parte moleſtam
Exercere famem. Ceu dant mihi numina uires,
Sic ego nequicquam furioſis uiribus utor
Pectoribusq́ malis: prædam ſic diuido, ne quæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Præteritam ſeſe, ſi ſit uicina, queratur.
Hæc equidem uirtus magna eſt & digna Tyranno,
Afficier, dura cum affligi ſubdita clade
Regna uidet: quacunq; malum ratione per urbes
Sæuiat, ac miſeros agitent ludibria ciues.
Aſt Regum quiſquis crudeli clade uirorum
Gaudet, & effundi ciuilem cæde cruorem
Pro riſu ducit, ſtudioq; applaudit inani:
Hunc equidem furiæ populis orbiq; Tyrannum
Obtruſere ducem: cui nil præcordia circum
Virtutis niueæ, neq; facta per ardua regnat.
G. Magnificis certè complexus publica uerbis
Exſuperas. tumido ueluti cùm flumine pontus
Altior inſurgit, fremitumq; per æquora uerſat:
Haud ſecus eloquio & magnis ſermonibus inſtas:
Et Regum officia, ac iuris monumenta reuoluis.
Hoc tamen & culpandus eris, quòd ſæpè ſecutas
Dilanies, propterq; etiam ſint præda morantes.
A. Venatu conſtat mihi res & uita. neceſſe
Interdum eſt etiam uicinas fortè uolucres
Sublegere, & noſtro farcire ea munera uentri.
Aut uitæ nunquid deberi iuſta negabis
Præſidia? æthereis ſancitum legibus eſſe
Dixeris, ut Regi præſtent ſe in fercla minores,
Publicaq; impenſa confirment culmina morte.
Quis damnet, uel ouem molles uel carnibus agnos
Magnanimo certè prædam ceſſiſſe Leoni?
Et nos ſceptra etiam gerimus Iouis ales: habentq;
Nos Lyra, nos cytharæ, nos magni ſiſtra Tonantis.
G. Vt nihil eſt Regum iactari nomina, ni quis

Pareat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Pareat, & iuſſis patientem accommodet aurem?
Cætera turba quidem miſera eſt: ego ſolus habebor
Fœlix, Imperio quòd nulli obnoxius æuum
Libertate traham, & proprio ſim Marte beatus.
Nam neq; me uolucrum gregibus ſubmitto, nec acres
Vt quibus accedam Dominus, agnoſco Leones.
Hoc pennæ efficiunt, iſtud mea forma negarit,
Vt brutis iungunt diſtrictæ brachia plantæ,
Sic meme uolucrum ſociauerit ala phalangi.
Tu Regis titulos & celſæ laudis honores
Ingenti captas ſtudio, noctesq; diesq;
Sollicitam afflictat tam uaſta inſania mentem.
Sed tamen imbellem nos te contemnimus: & nunc
Ni mea me uirtus tanto prohiberet ab auſu,
Diſcerptus noſtro iam cominus ungue perires.
A. *Hæc alia eſt, pridem quàm quæ ſententia noſtris*
Omnia iudicijs Gryphorum munera ſubdit.
Quem uiolentus agit diuerſa in crimina feruor:
Nec quæ recta uidet, nec quæ perſuaſa probarit.
Tu tibi uiue truci, ſi ſic libet eſſe, Tyranno:
Et ſectare tuas quas dant tibi ſemina uires.
Arbitrio mihi nulla meo priuata gerantur:
Publica cœleſti fretus Ioue commoda latè
Proſpiciam: & quantum mihi fas conſiſtere regnis,
Vel te compeſcam, uel noſtris conſulam, & altas,
Si quid fata ſinant, uertam ad meliora uolucres.
Tum uerò ſi nil metuas, ſi uiribus olim
Confiſus, legum ſacrata repagula rumpas,
Ingratoq; meos ſtudio uiolaris honores:
Ad ſuperos tua facta feram: teſtabor olympum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Vocibus: & ſi quæ Iouis eſt ſapientia, ſi quod
Numen, & infracto non læſa potentia ſceptro,
Exiget ad numeros facinus deus arbiter, ipſe
Iuſtus, & haud dubia ſtatuet tibi iuſta bilance.
Exiguæ certè uolucris non eſſe putabis,
Imperio populos & magnas flectere mentes
Heroum. Sedenim cum Dÿ parere iubebant
Eximios quamuis: tum ſarto iure minores
Armant, & iuſtos extollunt ſidera faſces.
Hæc res excelſos animos & pectora frangit
Indomita. humani nihil eſt quod regna gubernat:
Sed ſunt firma Deo quæ durant ſceptra Tonante.
Is transfert, qui regna locat. uir at improbus altis
Legibus abducit parendi munus: & idem
Perficit, ut nulla leges uirtute colantur:
Maieſtasq́ etiam poterit deſpecta uideri.
Cum Leo perrupit caſſes, iam retia ſpernit
Vrſus, & effrenes ſequitur Lepus impiger Vros.
Deterius nihil eſt, quàm cum contemnere pergas,
In ſua quod ſuperi uexerunt munera culmen.
Fortior haud ſemper, quia fortior, imperat. eſt mens
Quæ ſapit: hoc ut quis ſuperarit acumine, regno
Sic bonus aſpiret ſceptroq́ ornetur eburno.
Ardua ſint quamuis tibi brachia, non tamen omnem
Vincere fortunam poteris: pulcherrima ni te
Extulerit uirtus, ſuperumq́ hanc cura ſequatur,
Te uerò ancipitis naturæ forma Tyrannum
Suſcitat. at ſummum tete ſperare Tonantem
Suaderem, & facto fatum ſapiente tueri.
Siue etenim uolucrum generi te iunxeris: acri

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Seu ſubſis etiam, quamuis non ſponte, Leoni,
Regem utrinq; uides: quem cum Deus intulit altis
Officijs, equidem ſeruatum cœlitus iri;
Hunc ſtatuas: animo ſi quæ ſunt recta ſequatur
Virtutumq; bonus normamq; ac facta probarit.

G. Audio, nec dictis nunc aduerſabor. at iſtud
Haud equidem facile eſt, ſemper quæ recta Tyrannum
Et pia facta, ſequi. nos huc natura ſubinde,
Huc uis, huc rerum priuata negocia pellunt.
Inijcio quiſquis leges dedit, ille ſalutem
Abſtulit, ac diris inſcripſit cladibus orbem.

A. Inijcio leges quiſquis dedit: ille ſalutem
Intulit, ac ueris inſcripſit honoribus orbem.

COLLOQVIVM IIII.

Officij prætextu ſæpè prauos lædere.

VVLPES. CERVVS.

V. INgrata quid nunc etiam te Cerue fatigas,
Perplexaq; fuga? Sapiens conſiſtit, & omnes
Durat ad euentus, ſeq; in ſua proſpera firmat.
Quod ſi animo & uera tantum uirtute ualeres,
Quantum tute uales iſtis nunc curſibus: unum
Te regem noſtris ferret ſapientia brutis.
Et certè Imperio ſi quicquam forſitan aures
Vnà etiam attulerint: poteris nunc auribus hiſce
Vel primis maior, uel magnis proximus eſſe.
Hoc Aſinis melior: ſimili quòd membra colore

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Nec deſpecta feras, nec pondera maxima portes.
Ni fortaſſe etiam pondus graue duxeris hanc, quæ
Nunc premit ingratum tibi læta corona Cerebrum.

C. *Quid fallax noſtros rides Vulpecula curſus:*
Et prohibere paras tendentem ad flumina Ceruum?
Iam mihi difficili luctatur ſpiritus ore:
Arenteſq; inter graſſatur flamma medullas.
Vt feſsis umbras, fugienti ita pocula Ceruo
Grata futura putes. recreant præcordia lymphæ,
Cum labor excitos in uiſcera detulit ignes.

V. *Hîc conſiſte tamen, paulumq; morarier aude.*
Sentio pertenues ſpiramina dulcia flatus
Ventorum: Zephyro ueniunt ſurgente per auras
Mollia, & has circum pandunt ſe flamina ſyluas.
Quin hîc feſſus aquas tranſiſſes penè, monenti
Ni tua parendo flexiſſes lumina Vulpi.
Nil homini melius dat amico Iuppiter: ut qui
Ducere conſilijs animumq; ac pectora poßit,
Et ſuadere bonum: quo uita beatior omni
Præſidio, & rerum meliori ſorte fruatur.
Deniq; iam pridem uirtus tibi cognita Ceruo
Noſtra fuit. nuſquàm ſubmiſero lumina ſomno,
Quin prius aucta meo ueniant tibi grata labore:
Et capias noſtro non irrita munera ductu.
Semper ineptus eget. uarium eſt quod uiuimus: horæ
Momento dubias euertunt numina ſortes,
Fortunæq; gradus aliena in culmina uoluunt.
Inſtabilem cæli faciem quis neſcit? Orion
Nunc rutilans ſplendet: nebulis nunc tectus aquoſis
Triſtibus inducit clariſsima ſidera formis.

Sic aliàs aliud miſeros premit. optima res eſt
Et prodeſſe bonis, & ſe uirtute tueri.
Nunc igitur mecum potes hîc conſiſtere. tutum
Inuia multa locum deſertaq́ʒ paſcua reddunt.
Herbarum florumq́ʒ ſatis uiret: unda recenti
Gurgite læta fluit, nemorumq́ʒ hæc limina cingit.
C. At mihi quid flores, & gramina mollia narras,
Quidúe herbas fonteſúe refers? te carnibus uti
Nouimus, ac auido farcire tomacula uentri.
V. Haud ſatis inceptæ ratio eſt tibi cognita uitæ
Aut comperta meæ. Veterem iam deniq́ʒ morem
Liquimus, & paruo mihi nunc contenta quieſco.
Piſciculis ueſcor, tenui quos alueus unda
Hic uicinus alit. tibi ſeruiat herba comæq́ʒ
Et folia & flores ſpacioſaq́ʒ paſcua Ceruo.
Tum uerò ſtudijs operumq́ʒ laboribus æuum
Nunc tandem ſubigo. mihi cura impoſta repellit
Nequitias, prohibetq́ʒ dolos: ne uiuere rapto
Iuuerit, ac ſolitas exerceam in oppida fraudes.
C. At miror ſubitos quæ demum occaſio mores
Et quæ cauſa parit. mihi res Vulpecula monſtri eſt
Perſimilis, tantos animis te inducere luctus:
Et nulla deinceps tua pectora fraude moueri.
Gratulor anſeribus noſtris, Cycnoq́ʒ canenti
Strymoniæq́ʒ grui: nullos agitata paueſcat
Iam gallina dolos, anati neq́ʒ funera faxis.
Sed noua quo pietas tibi numine creſcit, amico
Expedias. non hæc quondam te maxima Vulpem
Relligio tenuit: cœlo fortaſſe monente
Talia nunc animis ſuccedunt ſemina ueſtris.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

V. Quid cœlum memoras ſuſceptaúe ſemina cœlo?
Fas mihi Cerue putes aliquando auertere mentem
Inſidijs, operamq́; bonis dare motibus æui.
Sat cædis, ſatis & fuſi per rura cruoris
Hactenus abſumptum eſt: noſtros ego ſubdola rictus
Expleui prædis deceptaq́; corpora ſtraui.
Nunc ratio priſci moris mihi diſplicet: & nunc
Hîc meliora ſequor: mihi ne mens obruta factis
Horrificis, miſeræ premat ultima tempora uitæ,
Et furijs animum ſcelerataq́; pectora turbet.
Vtq́; meos etiam poteris cognoſcere caſus:
Partibus hîc Medici fungor, ſtudioq́; uolente
Multorum morbos afflictaq́; corpora curo.

C. Et Medici tete nunc fungi partibus? aut quos
Curas? aut tales quis tete admouit in uſus?

V. Curo Lupos. Sed enim Domini mandata Leonis
Exequor, officij ſumma eſt hæc linea noſtri.

C. Te curare Lupos? Dij quas non uertere ſortes
Vos ego poſſe putem? ueniant ad fœdera Damæ
Cum canibus iungantq́; animos: timidasq́; Columbas
Accipiter nulla uiolatas lege ſequatur.
Non alius Vulpem mage preſſerat hoſtis, & omnes
In pœnas, ſi quid ualuiſſent uota, tuliſſet.
Verus at hic certè eſt generoſi pectoris index,
Et magnæ omnino uirtutis imago putanda eſt:
Si te odij cauſis minimè patiare moueri,
Quò minus hoſti etiam benefeceris: illius à te
Si quam forſan opem ratioq́; uſusq́; requirat.
Vita quidem hæc uarijs obnoxia caſibus errat,
Et certi plerunq́; nihil, ceu mobilis æuo

Poſſidet,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Poſsidet. at grandes cumulat ſibi prouida luctus:
Dum quæ recta putat, ſublato examine tanquam
Recta uelit, uotoq́; ſtudet conſtante potiri.
Indolis humanæ eſt igitur tolerare, patiq́;
Et ſeruare, etiam quos poſſes perdere: ſi te
Ambitio, & feruens in pœnas ira moueret.
Qui rerum dubios incertaq́; plurima caſus
Cogitat, is multa uirtutem laude ſequetur,
Et faciet quæcunq; bonus feciſſe probabit.
Rectè igitur tua cura Lupo ſubſeruit egenti,
Afflictumq́; foues. ea res tibi maxima Vulpi
Nomina conciliet: planè hac uirtute probari
Tete poſſe putes factoq́; capeſcere laudem.
Humano certè melius nil Iuppiter orbi
Contulit ingenio: cui cordi maxima uirtus
Efficit eximios generoſo in pectore motus.
Hac equidem diuis accedimus. unica cœlo
Militat, ac ſuperis homines Clementia iungit.
Dij tales animi flammas, & talia firment
Conſilia: ut fractis cupias ſuccurrere rebus,
Semper, & officio pulcherrima facta tueri.
V. Nunc demum, quod tu ſolitus mihi ferre, recordor
Eſſe etiam uerum: mutatum legibus iri
Omnia ſubuerſis, fractiq́; uolumina mundi
Inductura nouas agitata in ſemina formas.
Non ego te talem noram prius. intus aluntur
Quæ decus & meritas homini dant munera laudes,
Vt demum exſuperas? fruſtra num fata Coronam
Impoſuiſſe tuo credam molliſsima fronti?
Quis tete aſſequitur? tibi cedere cuncta putemus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Nunc noſtris degunt quæcunq; animantia terris.
Tute Aſinum cenſes quadam niſi parte locandum,
Qui ſimili fortaſſè feras ſtudioq; ſonoq;
Mouerit Orator, tuaq; hæc ueſtigia firmet.
Ille etiam ſapiens multorum pectora flectit
Sæpius, & iaculo ſermonum plurima ſternit.
Atq; utinam mecum nitidiſsime Cerue morari
Aut pariter uelles, aut huc perſæpè reuerti:
Vt mecum tanto defungi munere poſſes,
Et ſeruire Lupis: animosq; reducere cœlo.
Credo ego iam multo ſermonum flumine mentes
In quaſcunq; libet, te uertere poſſe figuras.
C. *Nulli equidem officium Vulpecula denego. Sed me*
Tranquilla pariter non omnes mente loquentem
Audire, & monitus in pectora mittere poſſunt.
Ipſa adeò dudum poteras fugiſſe uideri
Quæ modò dicta probas auidoq; amplecteris ore.
Omnia non ijſdem ſunt horis proſpera: nunc ſe
Phœbus Apollo tegit, nunc ſeſe rurſus in auras
Explicat, ac multo ſubnixus lumine regnat.
Aegrotos ſed enim quot nunc Vulpecula curas?
Dic age, nam numero fortaſsè moleſtia creuit:
Vt minus in cunctos quæ ſint facienda, ſequare.
V. *Principio ſeptem mihi demandata iacebant*
Corpora: nunc unus minuit mihi Cerue laborem,
Qui ſupereſt morbis, & inania tergora uerſat.
C. *Dij meliora? unum cladi ſupereſſe? quid iſtuc*
O Vulpes curæ eſt? quæ defers pabula? uel quæ
Afflicto demum ſolita eſt Medicina parari?
V. *Haud Medicina opus eſt, ne erres Bone: languida multa*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Membra fame hæc pereunt, proptereq́ perire neceſſe eſt.
C. *Tabeſcant' ne fame: cum te cuſtode fruantur*
Solertiq́ bonoq́ etiam: cui plurima prædas
Sectandi ratio nota eſt & cognita Vulpi?
An' non è fluuio piſces, è rure capellos
Sublegere, & paruos lepores comprendere poſſis:
Elapſasúe etiam nidis captare columbas?
V. *Non ea nunc uitæ noſtræ eſt uia: carnibus utor*
Iam nullis. mihi nunc ieiunia dura pauenti
Et fractæ indixi. paucis ego piſcibus utor
Interdum, & tenui durant mihi uiſcera paſtu.
Hoc ego more Lupum ſaturo: mandata Leonis
Exequor. hunc etenim mihi cum commiſit, edacem
Protinus ingluuiem deteſtor: & omnibus, inquam
Si fortuna Lupum repararit uiribus, actum
Iam de me fuerit. quis tantum curſibus unus
Sufficiet? uel quis uectandis undiq́ prædis
Intendat, diramúe Lupo ſatiauerit aluum?
Paſce cibo, quo tu uitam Vulpecula ducis,
Rex ait: inq́ diem ſi quid potes affer hianti.
Hos ego perficio monitus: ſatiabitur ille
Piſciculis. tumido proſunt ieiunia uentri.
C. *Tu tamen interea præ te fers corpus obeſum:*
Et ſatis eximia nitidum cute: plurima non te
Confecit macies, curaúe oppreſſit inani.
V. *Re certè exili nos uiuimus: atra ſubinde*
Nox fortaſſe aliquid. ſed quorſum ego talia? certè
Pertenue eſt, quo nunc uitam Vulpecula ſeruat.
C. *Ante aliquid mediæ ſublustri noctis in umbra*
Venatu captare putem: quo corpora firmes

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Tu tua, & egregio ueniant tibi pabula quæſtu.
Interea fortaſſe Lupum te fallere, ſola
Quem tu luce uelis extremo paſcere uictu?

V. *Id uerò herclè putes. nec enim mandata Leonis*
Impediunt, neq; me nocturna in facta dicaui.

C. *Cur tamen inde Lupo ueniat nihil? iſta uirorum*
Eximios tutela decet, deferre clienti
Quod fortuna bonum medios obiecit in uſus.

V. *Non ea me domini ſtringunt mandata Leonis.*
Nox ſeruit Vulpi, ſeruit Vulpecula Luci
Et precibus: paſcoq; Lupos & maxima Regum
Exequor imperia, & menſis communibus utor.
Sanctius haud homini quicquam eſt, quàm maxima regum
Iuſſa animis capere, & ſtudio complere fideli.
Rex Deus eſt, omnisq; potentia Regia cœlo
Confirmante uenit: ſuperisq; authoribus orbem
Atq; orbis partes & munera celſa gubernat.

C. *Officijs Regum quidenim præconia Vulpes*
Tanta canis? Dij te nebulonem, & ſidera perdant:
Obijciantq; pedes canibus, morſuq; procaci
Dilanient celeres tam perfida corda moloſſi.
An' ne fame extinctos credam perijſſe clientes,
Oppetijſſe Lupos, animamq; efflaſſe? quid iſtus
Officij eſt? fictæ uultu pietatis amicum
Perdere? Dij mundo tantas auertite peſtes,
Et meliora bonis decernite fata. Sed heus tu
Hac lue num cunctos abſumptos eſſe catellos,
Nec genus huic aliud credam acceſſiſſe? parumper
Siſte fugam, meq; hæc adeò nunc uera rogantem
Inſtrue. quid? ueteri ne te commiſeris hoſti.

Hoſti, inquam, ne te ueteri commiſeris. Vnus
Venditat obſequio uirtutem, ut perdere poſsit.
V. Si mihi quod res eſt, ſit fas impunè fateri:
Vnum, animum cruciat. ſedenim quorſum iſta profabor
Inſipiens? animum fortè id cruciauerit unum,
Ante quidem mea quòd ueſtigia dura ſecutus
Hærebat Pterilas: canis iſte audacior omnes
Inſequitur plerunq; feras: temerarius auſo,
Et qui magnoperè haud nunc tanta pericula curat,
Aſt inopina etiam cum me formidine terret,
Excipiens ô Cerue fugam dilabor in hoſce
Syluarum Campiq; ſinus: ſubeoq; latebras
Et mea curuato ſub fornice membra recondo.
Interea fortaſſe aliquem de ſtirpe Luporum
Vt uidet, impacto comprenſum dente moratur:
Impulſuq; ferox plorantem fata necarit.
Hanc patior iam fortè, Lupo ſub iudice culpam:
Qui queritur, tenui quamuis iam uoce queratur,
Proditione quidem & conceptis fraudibus hæc me
Sic agere: ut miſeris inducam funera natis,
Exſcindamq; lupos, ſyluasq; tyrannide purgem.
Sed tamen hunc curo: patior neq; noſtra moueri
Pectora ſtulticijs. turbata fortè locutus
Mente errat. ualidos etiam conuellere ſenſus
Tempora dura ſolent, geminatq; anguſtia morbos.
C. Nunc tua me pietas minimè latet. haud tamen iſta
Tute impunè feres. ſuperi tua facta notarint:
Quos ſperare uelis, diuisq; aduertere mentem.
Nec meme ſtultum fingas. cape uota, petasq;
A ſuperis animum, quem mittere in optima poſsis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

An'ne putas etiam, quòd tanta calumnia Regem
Pòſt latuiſſe queat? non is tibi tempora tali
Partitus ratione, Lupo ceu rere necemúe
Exitiumúe ſtruit. grata eſt ea beſtia Regi:
Quæ non rarò etiam ſacras ululatibus aulas
Complet, & auguſto pars adſtat prima Leoni.
Eximius ſiquidem cum forma excellat, & inter
Griſea magnates dilatet tergora: certè
His regno canis decus eſt: regiq́ſ ſuperbis
Militet annorum titulis raptumq́ſ ſequatur.
Non igitur tali decuit tibi deniq; cura
Hunc aſſeruari. quid enim? ſi forſitan æuo
Excedat Lupus & uitam ſub funera mergat:
Quo Rex præſidio perculſam muniat Aulam:
Quo proferre ſtatum, quo pandere robora poßit?
Sanè equidem infido rem tantam pectore tractas:
Mandatisq́ nihil reſpondet cura. tametſi
Hunc tibi commiſit tanquam ſapientia & arte
Valde equidem egregio Heroi: cui publica regni
Commoda iam pridem ſic cognita duceret: ut nil
Eſſe neceſſe foret mandatis addere, quicquid
Adderet in ſtultos, daret his ſi iuſſa, colonos.
Vir bonus & ſapiens, quæ ſunt rectiſsima cernit:
Officijsq́ addit lætos prudentia uultus.
Sanè equidem Regi ſic uelle illudere, crimen
Iunctum habet, ac tanto certa eſt ſua pœna furori.
V. *Quin pereat Lupus, & uentres premat urna uoraces.*
Regibus ipſa prober: qui me quòd fortè carere
Haud etiam poßint, facilè inflectentur, ut huic nunc
Vel noxæ ignoſcant, uel factum plauſibus ornent.

His

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

His etenim grauis eſt etiam Lupus. at ſua Vulpĩ
Vtilitas facilesq́; manus, ſtudiumq́; merendi,
Iam pridem primos nobis attraxit honores.
C. *Quinetiam fueris non improba: prorſus haberes*
Hoc tamen & facto, faceres ſi ſedula, laudem.
Quiſquis in alterius meditatur fata, doloq́;
Officium peragit: telam ſibi texit, eodem
Vt uinclo captus ſimili pòſt ſorte prematur.
Optima res homini uirtus datur: æmula laudis
Claret, & immani non ſubdit pectora fuco.

COLLOQVIVM V.

Ingens exiguo fomite flamma uenit.

TILIA. BETVLLA.

T. *AN' ne ego te lacrymis prohibere miſerrima poſſum,*
Et luctus ſedare tuos? abſiſte moueri
Amplius, ac metam ſpaciumq́; doloribus adde.
Non ea te ſolam tetigerunt damna Betullam,
Multorum fortaſſè uorax populata ſubegit
Flamma comas, pariliq́; malo uicinia languet.
Quin ſummam potius rerum cane, quoue miniſtro
Quoue authore, mali tantum tibi uenerit: & quo
Creuerit impulſu tantosq́; exciuerit ignes?
B. *Quas tibi quas referam clades, quæ funera narrem:*
Vndeue mœſta querar? ſummo res aucta dolore
Hæret, & ingentes mihi concitat aſpera luctus.
Hoc tamen expediam. Steriles exurere ſpinas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Et mundare locum Domino cum fortè liberet,
Præcipit efferri tenues in cortice prunas,
Et dumos inter ſpargi: flatuq́ ſequentum
Succendi magnos ceu preßis follibus ignes.
Accelerant famuli & domino parere laborant,
Inijciuntq́ rogos facibus, tenuiq́ ſub orſu
Multiplicant flammas & prima incendia firmant.
Arida Vulcano concedit plurima campis
Materies, interq́ furit tribuloſq́ ruboſq́
Sæuior igne Deus, ſpiniſq́ ſonantibus ardet.
Qualis in hyberno cum frigore plurima flammis
Res iniecta ſtrepit, facibuſq́ immurmurat auræ:
Haud aliter ſentes crepitanti deijcit ore
Exſuperans Vulcanus, & aſpera corpora ſternit:
Complanatq́ ſolum fundoſq́ extergit hiantes,
Et loca uenturæ iam condit ſcrupea meßi.
Excedit campis Dominus, famuloſq́ iubebat
Creſcentem frenare deum, reuocare ruentem,
Atq́ adhibere modum, notiſq́ includere ſeptis:
Vt poſtquam dumos ignauaq́ robora ſtrauit,
Oppreſſum det dextra neci: penituſq́ fauillis
Obruat, ac ſolito concluſum limite ſeruet.
At uerò in ſomnos meditataq́ in ocia ſerui
Præcipitant. ueluti genus id plerunq́ malorum
Aemula corda gerit, ſegneſq́ ad commoda dextras:
At faciles in damna manus ac iurgia pandit.
Officij tantæ eſt commißi obliuio: tanta
At domini ſerpit molles incuria iuſſus.
Hîc igitur quidam quò feruor & improba ſuaſit
Commoditas dilapſi abeunt: pars una relicta

Segnius

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Segnius officium mandataq́; tradita curat:
Cum uicina legens iam ſerpit flamma, proculq́;
Incubuit leuibus uelut in ſata læta Myricis.
Nec mora flagrantes ceu fomite corripit ignes
Arida materies. ſiccis æſtatibus iſte
Annus erat, multoq́; tulit ſe Syrius æſtu.
Inuadunt igitur noſtras cum incendia ſyluas,
Et piceas petere alta comas: tum pingue bitumen
Exprimitur flammis: quo poſtquàm ſumine regnat
Ignis edax, aditum ſummas molitur in ornos,
Et ſibi præcelſas ſubmittit pabula Quercus.
Dij quantum arboreæ ſobolis, quàm ditia ſyluis
Mulciber abſumpſit funeſto munera regno.
Vidi ego ceu ſparſa diuiſas canabe fagos
Eximiasq́; comis & magno robore pinus,
Tum ſacras Quercus, Platanosq́; inſigne uirentes
Populeasq́; genas, & ſumma cacumina Sorbis
Ignibus illapſis miſeram traxiſſe ruinam,
Et ſua fata queri. Iam latè effuderat æſtus
Horribiles ſonitus: crepitumq́; dedere fragores,
Intonuitq́; polo fremitus. ceu ſidera quiſquam
Voluier in præceps mundoq́; minarier audit.
Excuſſi ſomno famuli iam maxima cernunt
Damna locis: redeunt alij ſpectantq́; furentes
Vulcano ſuperante faces. pars utraq́; palmas
Percutit, ac aliquam meditatur ab arte ſalutem.
Nam ſimul ac ſyluas apprendit flamma, ſuperbos
Aeolus aſpirat diuerſa per agmina uentos,
Incubuitq́; ſolo pariterq́; incendia uulgat.
Aduolat huc ſua damna uidens, ſua damna, colonus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Inclamansq́; deos fruſtra gemit. abſtulit igni
Me paruam, ac tecum ſacrata in ſede locauit.
T. *O te infœlicem quæ funera multa tuorum*
Aſpiciens, tali nemorum ſata clade uidebas
Interitus ſubiiſſe ſuos, ac uulnere tali
Ingentes ſyluas, & clara occumbere regna.
Auditis horreſco malis: mens ægra ſtupeſcit,
Et gelidum ſurgit circum mihi pectora frigus.
Lux ea flagitiis ſtygioq́; ſacrata Tyranno
Eumenidumq́; notis hereboq́; inſcripta legatur,
Omine quam noſtri fugiant meminiſſe Nepotes.
Quid prius incuſem? Dominum'ne ita lucra ſequentem,
Vt quæ lucra quidem poterat ſeruaſſe, perirent?
Seruorum'ne dolos? iratáue numina diuûm?
Aut fortaſſe ſacris hæc infortunia linquas
Expendenda diis: qui quas mortalia clades
Suſtineant, multò ſapientes antea cernunt:
Appenſaq́; uident multorum funera lance.
Secretas ſed enim quis cœli euoluere cauſas
Metiriúe poteſt? rata ſunt ſua iura Tonanti,
Cui quodcunq; etiam libeat, feciſſe licebit.
Multa equidem abſtruſis fugiunt nos merſa tenebris:
Multa ignota latent. non protinus omnia diui
Humanis animis & cæca in corda reuelant:
Id placeat, quodcunq; diis decernere fas ſit.
Forſitan iſta quidem uenturo damna leuentur
Compenſata bono. quid enim? ſi creſcere ſyluas
Non datur, at ſegetes deterſo raudere cœlum
Reſtituet, lætasq́; ſolum protrudet ariſtas:
Et ſua flauenti Ceres induet ilia campo.

Tu

Tu ſaltem uereare Deos, meritasq́ Tonanti
Ferto Betulla preces, quòd ſis exempta periclis
Et ſeruata bono: ſi quid tamen uſibus addas
Tu noſtris ſeruata boni. præſaga futuri
Neſcio quid mens noſtra timet. non ædibus unquàm
Profuit iſta ſacris uicinia: te niſi præſens
Flexerit in molles animorum occaſio motus.
Teq́ adeò, monitis ſi quis locus extet amicis,
Hortor, ut inſurgas excelſa cacumine: cuius
Hoc umbris templum uentura à clade tegatur.
Nos aliquando etiam tranſlatæ huc uenimus, auctæ
Multiplici ſtudio populorum, & prima ſecutæ
Incrementa: quibus noſtros tunc extulit annos
Et proferre dedit teneros natura ſtolones.
Non me æſtas, non ſtrauit hyems: non languida morbis
Corpora, nec ſubiti preſſere ſedilia caſus.
Sed tutela pio cum ſim fidiſſima templo:
Me ſuperi curant, ſpacijsq́ ingentibus umbram
Fundere proſpiciunt, imoq́ à robore firmant.
Tum mihi nonnunquàm ſuſpendunt aurea ramis
Serta meis: circumq́ inducunt tempora lauro,
Ac hederas altè populorum brachia ſpargunt.
Haud alio, ſi te uirtus non fracta ſequetur,
Complexu Diui foueant. locus iſte deorum
Præſentes plerunq́ manus & numina ſentit.
Hunc quiſquis uiolat, ſubitam miſer intulit æuo
Perniciem. nunquid credam te Eryſichthonis atram
Ignorare famem? uel te non clade moueri?
Forſitan ex iſtis nuper ſubducta periclis,
Ni ſapias, triſti petulans ſeruabere damno:

Idq́ꝫ adeò ut ſeras tangant ea fata Nepotes:
Et tua poſteritas gemino mala narret ab igne.
Vtq́ꝫ etiam recto ſtatuas tua ſecula ductu,
Exempli meminiſſe uelis. locus iſte Betullam
Ante etiam magnis habuit de ſtirpibus ortam:
Quæ mecum latè tota hæc in ſacra uirebat:
Et lætas proferre comas. ſed neſcio paruum
Quid molita deos deuotaq́ꝫ templa Tonanti
Aduerſum, horribili mox fulmine tacta paterno
Excutitur fundo triſteſq́ꝫ adit exul erynnes.
Non igitur gemitu lacrymiſq́ꝫ ſequentibus æuum
Conficias priſcæ cladis memor. indue mentem
Quæ ſapiat, præſenſq́ꝫ bonum complectere: nec te
Tranſlatam afficiat. ſi me patiare monentem:
Omnia pro iuſtis uenient tibi proſpera factis.
Et deus hac colitur qui maximus æde, rependet
Inclyta pro amiſſis uerſa uice commoda rebus.
B. *Vt pecori ros eſt tenera gratiſſimus herba,*
Et iuuat exiles feſſos captare ſuſurros,
Cum tenui propter ludit uada ſibilus amne:
Sic tua me recreans oratio culta timentem
Erigit, ac pauidam ſolantur carmina mentem.
Credo ego iam pridem fatis urgentibus Ornos
Permetuiſſe truces, ne quid fortaſſe Betullam
Eximiæ laudis populorum uoce ſequatur:
Exiſtatq́ꝫ dies melior, quæ meq́ꝫ meoſq́ꝫ
Euehat, ac tumidos contra det creſcere uentos.
Terminus at certo mihi ſtat Deus ordine: nullæ
Sedibus hunc ſortes, nec cæca oracula uellunt.
Huic ego firma quidem creſcenſq́ꝫ uirenſq́ꝫ litaui

Semper.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Semper, & huic meritas ſuſpendi læta corollas.
Is ſimul ac Quercus, immania robora flammis
Strauit, & excelſos deiecit montibus Ornos,
Huc me translatam ſeruat memor. adde benignos
O Tilia hîc uultus, & me, quæ recta, moneto.
Meßis adhuc mihi prima uiret: ſapientius iſthæc
Omnia decernis. longis tibi fructibus æuum
Durat, & è proprio iam noſti hæc tempora caſu.
T. *Maxima res cenſenda bonis, parere monenti:*
Et ſua præſtanti ſubmittere pectora dicto.
Illa equidem uia ſola beat. plerunq; maligni
Credula turba ſumus: cæcis affectibus æuum
Plurima pars laxat. monitus audire beatos
Qui uelit, ut rarum fortaſſe inueneris: hunc ſic
Aſpicies ueris ornatum laudibus, omnes
Fortunæ fraudes merito ſuperaſſe triumpho.
Dij quantum exiguo nonnunquàm è fomite ſurgit
Percellitq; mali? quiſquis uitare ſequentes
Fortè uelit clades nulloq; inuoluier igni,
Principijs obſtet leuibus, primoſq; ſuſurros
Obruat, ac nullo flammas det creſcere uento.
Quid niſi pertenuis rumorum ſibilus aures
Inijcio ferit? hunc magno quicunq; uolantem
Reppulit ingenio, primiſq; exegit ab aruis,
Suſtulit ingentes incendia longa ruinas:
Et ſua damna premit. ſacram cæleſtia mentem
Numina dant homini, cuius ſi pectora cælum
Imbuat, ac magno ſint uota dicata Tonanti,
Vicit, & haud fragili ſua cuncta in pace locauit.

COLLOQVIVM VI.

Florere Muſas præmijs.

GRACVLVS. PHILOMELA.

G. *ALta per hybernas tenuiſſe ſilentia noctes,*
Haud te miror auem ſtudijsq́ hymnisq́ dicatam:
Et quæ delicijs iam pridem roſtra dicaris.
Quòd ſimul ac nimbis ſurgit pluuioſus Orion,
Inferat ingratos uſuq́ ac flatibus ignes:
Et longa miſeras infeſtet nocte uolucres.
At tete æſtiuo taciturnam Sole uagari,
Et faciles cohibere ſonos, ſtrepitusq́ ſuaues
Abdere pectoribus, neq́ fallere tempora cantu,
Hos neq́ conſuetis recreare accentibus hortos:
Id certè miror. Iam toto Vere Cicadas
Nónne audis corylos inter ſtrepitare uirentes,
Et ſua culta ſequi? redeunt in culmina Sturni,
Et ſacris de more canunt ſua carmina templis.
Ipſe ego nec rigidæ denſiſſima frigora brumæ
Vito: nec æſtatis quæ ſunt ſolatia ſperno.
Hos circum campos ſalicetaq́ candida ſemper
Verſor: & eximijs recreans garritibus auras
Oblecto agricolas, & mulceo uoce Colonos.
P. *Egregiam uerò & memorandam laude uolucrem,*
Quæ campos circum, circumq́ ſalicta uagatur,
Vt cantu agricolas, & mulceat ore colonos:
Scilicet iſta tui iam pridem carminis altè
Fama uolat: ſupraq́ niuoſi culmina Pindi,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Et ſupra aerij fertur iuga celſa Cariſci.
Credo ego te meritis aſſumptum uocibus iri
Delicias hominum: recreareq́ pectora poſſe:
Corporis haud tantum niuea quòd pelle tegaris:
(Haud tenues color iſte decet.) uerùm ore ſonoq́
Quòd ſuperes, uarijsq́ ornes tua guttura formis,
Et ritè incuruo mediteris inania rictu.
Muſica ſordidulos hæc oblectare colonos
Vna poteſt: craſſosq́ iuuant quæ craſſa feruntur.
G. Quid tamen interea ſolitos Philomela uolatus
Impedit, aut tacito renouat ſuſpiria planctu?
Certè anni poterat tempus te flectere: dulci
Vt conſueta ſono geminare tripudia uelles.
Vndiq́ prata uirent: læto pro more uolucres
Cantibus inſurgunt. nunc formoſiſsimus annus:
Nunc noua plaudenti iaciuntur ſemina Phœbo,
Aethereusq́ calor molles ſe ſubdit in artus.
Quòd ſi tu ſileas (nec enim benè facta, malignè
Obtrectare meum eſt.) magnum lux iſta dolorem
Traxerit, ac primo ſpolietur mundus honore.
Ipſe equidem, patrio quanquam ſim clarus ab uſu:
Haud tamen auerſor Philomelæ guttura: nec nos
Te dedignamur precióue aut laude, canentem.
Scit leuis iſte etiam quo te paſſerculus ore
Præcipuos inter ſoleo memorare: tuasq́
Interdum uoces, ſtrepitusq́ ac carmina laudo.
P. Certè equidem laus eſt iam non extrema, probari
Cornicum turbis. uel ſi tua Graculus iſte
Iudicet officia, & tali tete ore ſequatur.
Hancpaucos Venerem nanciſci poſſe, querelis

Iam patet. euerſas poſſedit Graculus urbes,
Delitiasq́; hominum ſeſe profitetur, & omnes
Alitibus leges impuraq́; uincula condit.
Huic igitur ſtudijs tandem placuiſſe uolucri,
Prima ſalus cenſenda ſiet. Dij cœpta ſecundent
Coruorum generi. nec enim dubitaueris atros
Nunc inſtare dies, pleno quibus ore uetuſtas
Prædixit magnis mutatum ſortibus iri
Secula, & inuerſo iam cuncta fatiſcere mundo.
Graculus hinc fidibus præſit, fidibusq́; canentes
Iudicet, ac mœſtas recreet garritibus urbes.
Credo etiam affectet contempto ſceptra Tonante,
Excellensq́; illud ſupremi numen honoris
Vendicet. Accipitri quæ non optata ſuperbo
Antè forent, ſperare quidem nunc Graculus audet.
Nos certè pridem labentia ſecla canendo
Vicimus, ac aliquo noſtros recreauimus uſu,
Deliciæq́; uirûm fuimus: qui noſtra ſecuti
Carmina, multiplici cumulabant præmia laude,
Confertosq́; choros, atq; aurea ſerta ferebant.
Vtq́; etiam fatear quæ ſunt tibi uera, canentem
Cum meme agricolæ plauſu excepere, mouebat
Hunc animum plauſus: fuit & certare uoluptas
Et cantu mulcere bonos, aureſq́; tenere
Blanditijs: totas libuit cum fallere noctes,
Et dulci afflictos ſolari uoce colonos.
At uice nunc uerſa rerum mihi cardo modusq́;
Vertitur, & fractis contraria luctor habenis.
Præmia non nobis ſunt amplius ulla: coronæ
Et ſerta, & choreæ, & quæcunq; tripudia languent.

Vocibus

Vocibus haud igitur recreamus prata. fatiſcunt
Carmina, cum merita ſpoliantur laude Camœnæ.
G. *Quid uerò toties Philomela hæc præmia narras?*
Quid quæreris Choreas ſuſpenſaq́ ſerta negari?
Aut tua non aliquo iam ferri carmina plauſu?
Inſanire quidem multis libet. optima res eſt
Ignaue, haud tali contendere præmia dicto.
Aut quid tute tibi iam ſperas magna, perinde
Ac ſi natura non inſtigante labores?
Dij tales tantosq́ ſonos & guttura perdant
Obſtrepera, & magnis immergant luctibus annos:
Quòd cum inconſtanti ſis garrula uoce, quietem
Et feßis rumpas, nocturna ſilentia: poſcas
Ornamenta tamen, meditaq́ lucra ſequare.
Vt quiſq; ingenio eſt, & pectore maior honeſto:
Hoc minus & pretijs, & inani laude mouetur.
Sæpe ego templorum ſubeuntes culmina uidi
Cornices: uidi fulicas in ſtagna ruentes,
Et circum faciles ſaltaſſe palatia picas.
Nec tamen iſta quidem ſibi præmia turba petebat:
Nec naturales poſuit ſub fœnore motus.
Quin neq; blandiſona truculentos uoce tyrannos
Velle capi ſtatuas. is deſpicit omnia turbo:
Stultus & eſt umbras quiſquis licitatur inanes.
Ipſe ego non feſſo uicina hæc prædia cantu
Solor, & obſcuræ uel ſigno crepuſcula nocti:
Vel iam ſurgenti meditatus carmina Phœbo
Gratulor exortus prouectaq́ lumina pando.
Haud tamen officijs aut præmia poſcimus: aut me
Propterea ſegnem, quòd non ſint æqua, quærare.

Iſte etiam, quamuis ales lepidiſſima, Coccyx
Fortè monere poteſt: ne uili præmia captes
Officio. quid enim? magno clamore uagatur,
Et magno clamore canit: nemora ardua miro
Oblectat ſtrepitu. quid? agendi tempora ſegni
Explicat agricolæ, ſubigendaq́; ſemina monſtrat.
Hunc inhonoratum tamen omnes penè colonos
Præteriiſſe uides. ferali carmine Bubo
Intonat, ac celſas ſtridoribus afficit urbes.
Quid tamen hîc lucri, quæ reddita præmia cernis?
Aut tibi quæ pariant ſolatia, ſerta, corollæ,
Nympharum plauſus? hominum res iſta mouebit
Pectora ſtultorum. Virtus hac laude quieſcat,
Si perfecta ſiet, quiddamq́; quod utile cœtus
Partiri noſtros interq́; & ſpargere poſſit.
Delicias equidem ſemper Philomela putaui
Eſſe mihi ſummas: ſi fortè cadauera campis
Sparſa uorem: aut auido lacerem pia uiſcera morſu.
His ego delector menſis: hæc ſector. at iſtud
Inuiſum Coruis pretiumq́; aſpernor & odi.
P. *Vt mens cuiq́; dolo ſubuerſaq́; fraude redundat,*
Sic loquitur, generisq́; ſui primordia pandit.
Haud tibi uirtutis clarum precor excidat: iſtud
Non ueniet tali memorandum gutture nomen.
Furta, doli, fraudes: hæc ſunt quæ Graculus ore
Nominet impuro. pudeat te ſidera, cœlum,
Virtutesq́; deosq́; ſono ructura procaci:
Et malè cum facias, benè uelle egiſſe uideri.
Te Coccyx, Coruiq́; truces, te ſubdola Cornix
Et te Pica beet. fulicis capiare marinis,

Et

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Et ſatient auidum tibi ſparſa cadauera uentrem.
Dij meliora bonis. nec enim te iudice uitam
Ducimus, aut tali paret Philomela magiſtro.
Non res arbitrijs hominum producta, putentur
Præmia. Dij cœlum qui celſa & ſidera torquent,
Virtuti precium primi ſtatuere. nec id tu
Ingenio factum aſſequeris: quia præmia cordi
Sunt tibi nulla. alio productus fine uideris,
Quàm qui uirtutes & candida facta ſequare.
Iuppiter at Muſas, & honeſtæ munera uitæ
Excitat. hic etiam decernit præmia rectè
Factis, & cœlo ueniunt ſacra lucra parente.
Graculus, & Coccyx, & Coruus & improba Cornix,
Ad pœnas ſata monſtra ſient. tu priſca require
Maiorum monumenta, graues ob crimina luctus
Alitibus iuſta uideas his lance rependi.
Præmia non igitur, quæ non contingere poſſis,
Inuideas alijs. res eſt contraria cœlo
Inuidia, ac ſtudijs alienam rodere laudem.
Maior ut ingenio quiſq; eſt, & pectora factis
Nobiliora gerit, uerog; aſpirat honori:
Hoc mage ſe Superis, & honeſta laude moueri
Suſtinet, ac recta ſequitur ſua præmia mente.
Gloria Virtuti decus eſt. at laude Thalia
Creſcit, & æthereas confirmant præmia Muſas.
Hæc ego iuſta peto, quia quid ſunt præmia noſco.
Ac ſi rura negent, iam cedam ſpreta. canendi
Officio has humiles recrearit Graculus urbes.
Hunc ſiquidem in precio tantum iam cernimus. haud te
Fruſtra etiam Lemnos prima inter ſacra locauit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Cum tibi nunc paſsim multo ſeruitur honore,
Et primas Scenæ uideare capeſcere partes.
Tum poteras aditu feralia monſtra locuſtas
Euxinis prohibere uadis: medioq; uolatu
Ingentes terræ demergere in æquora peſtes.
Nunc Philomelæ etiam quòd præmia carpere poſsis
Et ſtudio nocuiſſe bonis, & furta tueri:
Ingrato meritis celebrabere Graculus orbe.
Has equidem fortuna uices, hæc dura paciſci
Iura ſolet. magnis urgeri maxima fatis,
Et plerunq; bonos quæ ſunt aduerſa morari.
Forſitan at tempus ueniet, quo rurſus in auras
Prouehar, ac merito decorem noua ſidera cantu.
Cumq; tibi nequeam quamuis Philomela, probari:
Et noſtræ parui uocis modulamina ducas:
Principiò tete contempſero firma: deinde
Quæ decreta mihi Phœbo ſunt lucra parente,
Sic ſequar: ut tete tamen haud ſub iudice captem
Præmia: nec ſtolidis luctabor uocibus: una
Re planè inſipiens, ſi tecum Gracule pugnem.
At mihi iuſta quidem hæc ſi euertant rura, ſilendo
Prætercam: donec fœlici purior aura,
Diſcuſsisq; adeò nebulis perrumpat, & æquas
Phœbus Apollo uias uirtutum in culmina pandat.
Nonnunquam pluuiæ, nonnunquam flamina proſunt:
Atq; hyemem Ver dulce fugat. fortuna ferenda eſt
Quo te cunq; loco, qua te ratione ſequatur.
Obniti ſuperis ſtultum eſt. Mens conſcia recti
Vincit: & ad ueras iter eſt Patientia laudes.
Qui ceſsiſſe poteſt, potis eſt & uincere, cœlo

Quæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Quæ ſunt iuſta, uelis etiam tibi grata uideri.
Interea agricolas oblectet Graculus, iſte
Aſſertus Lemno uolucer: cui plurima fandi
Copia ſemper adeſt, nec adeſt ſapientia dicto.
Me loca munda iuuant, & præmia iuſta: canentem
Quæ retinent, ſacrosq́ ferunt in carmina motus,
Subq́ imas condunt aliquid mihi dulce medullas.
Ingrato cecinisse gregi triſtiſsima res eſt.
G. *Molliter iſta quidem, quamuis ſim ruſtica, dici*
Percipio. uellem ſi ſors æquata faueret,
Perſimili noſtras decurrere flumine uoces,
Et ſapere hanc dulcem, tibi quæ eſt data maxima, uænam.
Ipſe etiam Phæbum ueneror, uincloq́ perenni
Me Phœbo obſtrinxi. Deus hic mihi plurimus uſu
Conſulit, ac noſtris diſpenſat commoda rebus:
Annua cùm ſacra purgem faſtidia Lauro.
Aſt tibi qui reddat pòſt debita præmia, noſtro
Vix aliquem Philomela putes reperirier orbe.
Vulgo equidem Muſæ ſordent: fidibusq́ canoris
Graculus aſſueuit. funeſta uolumina Bubo
Stridet, & Accipitri uileſcunt clara ſuperbo.
P. *Haud ita ſubuertas animi certamina noſtri*
Gracule, nec tali mihi fregeris aurea dicto
Pectora. quo nunc more boni exagitantur & arte,
Si me ſcire neges, toto fallaris olympo.
Nouimus inſtabiles matura in dicta Colonos:
Nouimus effrenes animos ſobolemq́ ſuperbi
Accipitris. quantumq́ mali ſuccreſcet in æuum,
Iam priaem ſolida perſpeximus undiq́ mente.
Nec tamen iccirco nos deſpondere uidebis

Egregios animi motus. Deus ipſe ſalutem
Vatibus educet, Muſasq́; bearit olympo.
Et nunc concentu quamuis turba effera noſtro
Nequicquam afficitur: Cornixq́; exaſperet iras,
Graculus excipiat ſannis, me garrula uoce
Pica premat, Coruusq́; truci faſtidiat ore:
Non tamen & cunctæ uolucres mea guttura, ceu nec
Harmonicos ſtrepitus & roſtra ſonantia culpant.
Quin aliquo certè nos conſectantur honore,
Atq; uſus inter medios, interq́; uolatus
Multiplices, ambas Philomelæ cantibus aures
Aduertunt: ſiſtuntq́; gradus, dulciq́; moueri
Pectora uoce ſinunt, animosq́; in carmina mittunt.
Vidi ego cum meritis Aquila exſatiatus ab eſcis
Ocia captaret, non ocia uana, canenti
Indulſiſſe animo: totosq́; in carmina ſenſus
Partiri ſolitum, mulcereq́; pectora plauſu.
Hunc iuxta ſoboles, genus & tutela deorum,
Sepoſitis curis ſtudioq́; excita quieuit,
Demirata patrem: cui cum mea tibia cordi
Eſſet, & arrecto perſtaret ad omnia uultu:
Ipſe etiam Gnatus, tum uita tenerrima, plauſit
Subſaliens, auctasq́; probat modulamine uoces:
Et ſimul ingenuè uariata tripudia laudat.
Hoc ſummota, libet ſiquidem tibi uera fateri,
Officio. pridemq́; meo quæ dicta fuiſſent
Verba forent, colo: Generoſi pectoris eſſe
Aurea diuinis decernere præmia Muſis.
Non uulgi Reges exiſtere moribus. eſſe
Seminis ætherei flores, quos Iuppiter altis

Deſtinat

Deſtinat imperijs, ſceptroq́ adiungit eburno.
Non grauibus ceu tincta dolis mens prodit ab orbe
Regibus æthereo. diuûm pater atq́ hominum rex
Spiritibus fulcit magnis, & robore magno
Subuehit, ac clara decorat uirtute Monarchas.
His igitur cum mens ſuperis genitoribus inſit,
Et primam uitæ partem fateantur olympum:
Aonijs dant thura deis, cœloq́ fruuntur
Propitio, ac Muſas uero amplectuntur honore.
Quòd ſi alia Reges nec haberent laude Camœnas,
Inferrent alijs nec honeſta ſalaria dextris,
Quàm uulgus conſueuit, inops rectiq́ boniq́,
Cuiq́ etiam officijs non æqua rependere mos eſt:
Iam neq́ ciuili redimitus flore uireret
Phœbus, & ingrato ſua lumina panderet orbi.
Regibus ingenio par eſt Reſpublica, uel re
Penè etiam maior: ſi quæ fortaſsis honeſtæ
Pacis amans diuina operum monumenta quieti
Conſecrat, ac lætis tribuit uera ocia Muſis.
Hac nihil in terris, quod maius dicere poſsis
Eſſe putes: tantum eſt animi, tantumq́ ſalutis
Conſilijq́ boni: quo lucra domeſtica, quoq́
Nomen, & æternis conſtet ſua fama Camœnis.
Optandum eſt florere bonos, qui numina cœli
Prima colunt, feſsisq́ ferunt ſolatia rebus:
Hisq́ adeò eueniant, quæcunq́ optata modeſtis
Profuerint. ſit fas ingrato triſtia mundo
Accidere: ingenuis ubi præmia nulla Poetis
Reddita, cœleſtes faciunt lugere Camœnas.

COLLOQVIVM VII.

Ingenio magnos uiuere.

TYBRIS. GVDIVS.

T. DIuino primùm cum meme inſcripſit honori,
Et Latijs iuſsit mea flumina Iuppiter aruis
Voluier: oppoſito tete mihi limite Gudi
Intulit, ac clara Cimbrorum ſede locauit.
Me latus Italiæ rigidos quod ſpectat in Afros
Euomit Heſperijs exceptum fluctibus: at te
Cherſoneſus habet iam Cimbrica, cuius in ortum
Aduerſo prorſus mihi tendis & æquora uultu.
Italiam medijs terrarum fluctibus orbi
Porrectam Notio, Adriaciq́; uolumina ponti
Inter, & Oenotrias Tyrrheni gurgitis undas
Iuppiter extendit, geminisq́; obiecit arenis.
Hinc Auſtris ſpectat Siculas ſpirantibus urbes:
Meſſanæq́; latus rupesq́; ſitusq́; Pelori
Et Drepani frontes, & tergora celſa Pachyni.
Tum zephyri incumbunt, calidis ubi Corſica ſpumis
Eximia fundit generoſum uite liquorem:
Et ſua Sardois obiectat limina regnis.
Hinc uidet Eois agitari flatibus undas
Adriacosq́; ſinus: Venetis ubi prima colonis
Manſio tuta fuit medio ſuſpenſa profundo:
Et maris urgentes inter firmata procellas,
Auſpicijs Sol alte tuis: ubi dicitur acri
Gurgite in arua means tumidas Padus edere ripas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Et tua ueloci diſtringere flumina motu.
Hæc Venetùm ſedes læto iam numine pridem
Cepta manet: genus unde uirûm, cui maxima uirtus
Conſiliumq́ dedit ſeros florere per annos.
Nam tibi quid ſtudium, quid claros gentis honores,
Quidúe pericla canam? dijs hæc authoribus una
Publica res durat: cuius nunc gloria cœlos
Attigit, ac totum meritis ſe fudit in orbem.
Quæ bona, ſacrarum conſtans ſententia legum
Pœnarumq́ metus & claris præmia factis,
Communisq́ boni ſtudium & concordia, reddunt.
Mox in conſpectum latos Aquileia tractus
Obijcit, Iſtriacis contermina collibus: inde
Tergeſtum, & uarijs Epidamnus nota periclis.
Græcia ſuccedit, qua fluctibus obuia durat
Iönicis: clauditq́ ſinum, Calabresq́ feroces
Aſpicit, ac ſupero miratur Brucia ponto.
Hæc circa Italiam uiſuntur plurima. Sed te
Aduerſo poſuit fatum mihi limite: ſæuum
In Boream longos cum Cimbrica littora curſus
Tendant, & uaſto properent ſe tingere ponto.
Tu tamen interea patrijs dilapſus ab aruis
Ingrederis tua regna ſalum: qua parte nitentes
In latus Eoum Sol explicat aureus ignes.
Nunc uerò primis diſiuncti fontibus alto
Mergimur Oceano. quid enim uetat inclyta Nerei
Regna ſequi, & tacitis nos cedere uerba ſub undis?
Dij ſumus, & magno geniti ſeruamur Olympo.
Tuq́ adeò quæ ſit ueſtrarum gloria rerum,
Et quæ fata refer, tranquillo littora motu

H *Fluctibus*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Fluctibus abſiſtunt, molliq́ feruntur arena.
Halcyones ueluti ſcopulis cum fortè marinis
Expediunt nidos, ceſſat furor æquoris, & ſe
Induit in placidos diuina potentia uultus.
G. *Corniger Auſonidum rex & moderator aquarum*
Tybri pater: magno cui militat ordine quicquid
Italicis leni tandem fluit agmine regnis:
Cui natura dedit uario circumdare flexu
Ingentes Latij muros, ingentia rura:
Celſaq́ diuinæ penetrare palatia Romæ.
Sis fœlix fauſtoq́ ſeces tua culta meatu:
Et uirides inter ſaliant tibi flumina ripas.
Te Tiberine Deum ſequimur, te uocibus unum
Et tua regna colo. Dij ſaltem ac æqua dediſſent
Numina me ueſtris ortum regionibus alto
Influere Oceano uitreisq́ illabier undis.
Eximium meritis iampridem nomen haberem
Præcipuos inter fluuios interq́ beatas
Dictus aquas: cœlo quæ nunc coniuncta, perenni
Flumina luxuriant pulcherrima nomina, laude.
Te tua fata beant monumentaq́ ſeria Vatum,
Maxima cœleſti quibus eſt uis aucta fauore
Et dedit æterno Pallas florere triumpho.
Me miſerum naſci quòd non mihi contigit illic.
Inclyta diuinis ubi præmia uatibus omnes
Ingenij numeros excultaq́ pectora cogunt
Munus Apollinea redimendum condere Lauro.
Nunc patrijs deſpectus agris, & plurima circum
Rura uolutatus nullo plaudente pererro:
Et tacitis prorſus dilabor in æquora ripis.

Quanquam

Quanquàm nec magnis concedam uiribus Arno,
Nec me ueloci ſuperarit Myncius unda:
Myncius æterno cantatus uate Marone:
Ingenio cuius tam ſubdit Apollo Camœnas,
Quàm dederat nulli ſimiles in pectora Muſas.
Hic igitur ſupero ſinuoſum inglorius æuum
Et minimè noto dilabor in æquora curſu:
Quòd me Palladio ſubuectum nullus honore
Intulerit ſacris monumenta per ardua Muſis.
Quis Trebiam Lyrimq́ citum, fontemq́ Timaui,
Et parui Rubiconis aquas (cui plurima ſacros
Relligio uultus & noxia littora tendit.)
Aut quis Benacum, Ticinum, Cannasq́ cruentas
Neſciat, heſperijs iam cognita nomina regnis?
Aſpice Scamandri riuos, Simoentis & undas,
Mæandri flexus, uarijq́ ferocia Xanthi
Brachia, lenta uadis & ſanguine tincta pelaſgo:
Omnia iam toti quæ cognita flumina mundo
Eximijs certè populorum uocibus altè
Extulerint caput, & merita ſub laude feruntur.
Aſt inhonorato mihi gurgite uita per omnes
Hactenus excedit campos, ſpacijsq́ remotis
Inferor Oceano: neq́ me uel nomine quiſquàm
Egregio uehit, aut noſtros ſatis aſpicit uſus.
Siue ego tot fruſtra produxi ſtultus alumnos:
Seu caret ingenijs, quæ circum nata feraces
Turba colit ripas & acumine languet inani:
Inſita ſeu nullos in pectora Gloria motus
Suſcitat, ut claris aſpirent ardua factis:
Præmia diuinis ſeu deſint uatibus. Vt ſe

Militia nullus crudeli obiecerit enſi:
Cùm precio careat uitæ labor, & ſua certæ
Præmia uirtuti cernat ſperata negari.
Sic niſi Phœbeios accendat gloria uates,
Et precio creſcat Muſis honor, omnibus omne
Obſequium numeris, & fila canentia demunt.
Hæc meme ignotum ratio per multa relinquit
Secula: nec claris maiorum faſcibus addor.
Vtq́; etiam preſſat noſtros obliuio curſus:
Sic nullo uolui reliquas dat honore ſorores,
Elabiq́; amnes: quorum uaga flumina longis
Mæandri poterint ceu flexibus æqua uideri.
Nam tibi de multis referam ſi paucula, uaſtus
Debuit an tali latuiſſe uolumine Skernus,
Heſperijs illapſus aquis pontoq́; furenti?
Voluitur egregio ſinuoſus gurgite Cloros
Oceano lymphas cumulans: ubi maximus Euro
Intonat aſſultus circumq́; ea littora regnat:
Quà ratibus triſtes Lithokrogius obijcit undas,
Et procul in uaſtas procurrit durus arenas.
Nec minor incertos extendit Trudzius amnes:
Et latè campos circumq́; uagatus & arua,
Non exquiſito ſe prodit naſcier ortu:
Ignarosq́; loci fallit. Tum fluctibus Antza
Haud exploratis, nec origine cognitus omnes
Euariat flexus obſcuraq́; littora pandit:
Et plures ſimulat ſinuoſis curſibus amnes.
Quidúe humiles Vetlæ ripas, quid flumina dicam,
Aërios inter labentia flumina montes?
Decliuem ſortitus humum pulcherrimus undis

Hinc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Hinc atq; hinc uiridi frondentes littore ſyluas
Aſpicit, ac molli prætexit gramine ripas.
Hîc ſacer Aonijs poterat locus eſſe Camœnis
Oreadumq́; Choro: Dryades habitare uenuſtas
Dixeris, aut dulci lætantes gurgite Nymphas.
Vſq; adeò campis diuinum Phœbus odorem
Diuinasq́; auras & amœnum ſparſit honorem.
Tum uerò ſi quis dulci prata obuia Vetlæ
Deſuper aſpiciat celſis è montibus, alti
Cernere ſe menſam Solis putet: una uetuſtis
Quæ res nota uiris, multorum maxima ſæpè
Perculit ingenia, ac ſabulum luſtrare coegit.
Labitur haud magno ſubnixus Fuldula riuo,
Et ſpacijs errat multum diſtantibus: undis
Dum molitus iter pelago ſuccedit Eoo.
Quis Ringum, Brauiumq́; lacus neſcire feraces
Debeat? ingenti pandunt ſe ea littora fructu:
Et uario cautas illectant fœnore gentes.
Sed quid ego hæc memori nequicquàm mente reuoluo?
Quidúe ſequor tot ſparſa ſolo, tot merſa profundo
Numina? non ſi me tot guttura docta bearent,
Quot circum faciles Euro uoluuntur arenæ:
Omnia Cimbriacæ comprendere flumina terræ,
Nec poteram ueris inſcribere laudibus amnes.
Vnus ab ingenti circundatus aggere uaſtum
Explicat in præceps uterum Lacus: omnibus unus
Anteferendus aquis: uario quas Cimbrica tellus
Vbere læta fouet curſuq́; ſub æquora mittit.
Eximias Lacus auctus opes Kolingicus: acri
Cui natura dedit tumidos diſtringere fluctus,

Et medias inter diffundere brachia cannas.
Hic geminum littus uicinaq; prædia cingens,
Plurimus obliquo ſe gurgite promouet, altas
Interea ſpectat dum latior undiq; ſyluas:
Et iacit herboſos inter ſua flumina colles.
Ad Boream Notioſq; habitant ditiſsima regna.
Innumeræq; uirûm turbæ: quibus omnibus una
Cura manet, faciles aptare in aratra Iuuencos,
Et rigidam forti proſcindere uomere terram.
Piſcibus exundat lacus, & ſua commoda miro
Explicat acceſſu: quæ cum ſint grata lucello
Haud tenui uigiles cumulantq; beantq; colonos.
Quidúe ego commemorem Lucios, Percasq; rubentes:
Quid Praſinos Tincasq;? genus tute omne natantum
Squammigeriq; gregis, quodcunq; in flumina diues
Immiſit natura, potes cepiſſe uidêri
Retibus: ac gratos traxiſſe in fercula piſces.
Non hîc horribili ſternit ſata læta boatu
Aeolus effracto uentorum carcere: mollis
Incumbit, iuſtoq; mouet ſpiramine lymphas,
Atq; aperit placidis æquatos uſibus utres.
Rara equidem uel ſæua lues, uel noxia peſtis
Hæc circum uitrei graſſatur littora regni:
Tempora ſed uicibus certis aptata, parumper
Euariant: ſolitoſq; ferunt in ſemina motus.
Hîc ſtatio longè eſt niueo gratiſsima Cygno
Alitibuſq; piÿs: meritum cui Phœbus honorem
Hunc dedit, ut grato uocis modulamine uincat:
Cimbriaciſq; ferat primus ſacra nomina Muſis.
Nullus in orbe locus Kolingica littora gratis

Vincit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Vincit aquis: ubi Caſtalides uel figere cultas
Poſſe domos ſcires, uel non ſpreuiſſe putares.
Hîc ſuccincta latus placido Fæuelia tractu
Inguorſdorppenſis ſpectat noua culmina uillæ,
Quà læto ſurget mihi Vates numine: firmis,
Qui mea, qui patriæ placidiſsima regna Camœnis
Inferet, ac toti pandat mea nomina mundo.
Dij dent ſarta meo ſint ſemper ut omnia Vati:
Excellatq; animis, & ſpe ſua commoda firmet:
Sitq; tibi ſacer uſq; deo. tu Tybri feracis
Ingenij numeros, & pectora iuſta corones.
Sed mea me retrahit miſerum fortuna: uagorq;
Longius, ac tenui propellor in æquora fructu,
Ignoto lateam cum nomine gentibus. Aut quis
Littoribus ſparſas hinc atq; hinc dixerit urbes,
Quà Cherſoneſus circumflua mœnia ponto
Iungit, & impulſas uento remoratur arenas?
An quia tu Latijs pulcherrima mœnia regnis
Diuidis, ac ualdè muratas aſpicis urbes:
Iccircò credas omni mea prædia cultu
Deſtitui, aut prorſus mihi deſolata uideri?
Multæ urbes, multæq; arces atq; oppida multa
Littus utrunq; colunt: quorum mihi nomina fas ſit
Dicere, & ingentes conferre in carmina muros.
Primus Arhuſiacam mihi deferat angulus urbem,
Primæuæ Virtutis opus: Helneſia contra
Littora, ſquammigeros captura ubi ſedula piſces
Colligit, ac leuibus defert quæſita carinis:
Immittitq; foro, pretioq; inſcribit inani.
Hinc notijs plaudunt Horſnenſia culmina uentis:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Hinc Vetlæ campus Lupulis ſuccinctus, & acres
In ſua lucra uiros excultaq; pectora gignit.
Aut quis Koldingum teneram non nouerit urbem?
Qua non ingenuis populorum moribus ulla
Vel florere magis, uel dicier oppida poſſunt.
Artibus excreuit magnis: cum magna polito
Artificum ſtudijs ceſſit reuerentia ferro.
Hîc Vapennenſi colitur dea Pallas in æde,
Aucta manus iaculis & terſo cuſpide dextras:
Qua ſpectante leues accedit ſplendor in enſes,
Cultrorumq; acies rutilum limatur ad ignem.
Nec tamen iſta meo laus eſt æquanda poetæ:
Qui Koldingiaco placidiſſimus accolit amni:
Et ſua rura beat, clariſq; laboribus ardet:
Ingenio celer, ac patrio ſermone diſertus,
Adſcriptuſq; dijs. cui, ſi quos Rythmus honores
Conciliet generi diuina in præmia noſtro:
Prima Paludano ducantur præmia noſtro.
Mox mihi Riparum ſuccedat gloria. Ripas
Hunc dixere locum ueteres, ubi plurimus urbi
Poſtea creuit honos, manſitq; è nomine nomen:
Oceani ripis quòd ſtructa tumentibus eſſet:
Et uicina ſalo funeſtos ſæpè labores
Sentiat, ac refluo metuat ſibi triſtia ponto.
Tum mihi Viburgum meritis referatur honeſtis:
Quæ quamuis humili nunc urbs coniuncta Myricæ
Non ita ſplendorum numeros attingere poſſit:
Egregijs tamen aucta bonis, ſua rura lacuſq;
Prædicat, ac media ceu gaudens ſorte moratur.
Quis memoret quanto Randruſia diues honori

Aſpirare

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Aſpirare poteſt, ſua ſi bona norit: & omnes
Intendat neruos ſeq́; in ſua commoda firmet?
Huic ego præcipuam, cum mœnia rado, ſalutem
Attulerim: curſuq́; beem: ripiſq́; ſecundis
Alludam, magnos dum noſtra ſub oppida fructus
Ingeram & æterno cumulem mea munera curſu.
Inde ego præcipitans lapſum feror, æquora donec
Et primas ſubeam motu propulſus arenas.
Interea dum me fluctus rapit, inde ſiniſtram
Proſpicit Ourgardum, campiſq́; feracibus adſtat
Vertice multiplici cultum: cui plena uenuſtos
Copia Lyckei & gratos adiecit honores,
Exuberans. hinc littoribus ſe maxima dextris
Tecta Stenhaltinos inter clariſſima muros
Expediunt: ubi priſca bonis habitatio ſemper
Grata feraxq́; fuit: cum uel ſua rura ſagaci
Confirmant aſſerta manu: uel plurima genti
Officia intulerint, & amant uirtute probari
Biornones: ueteri ſoboleſq́; & certa parenti
Linea: cui lato Rugſonia fertilis aruo
Haud tenues ſoluit patrio pro more Medimnos.
Inde iter Alburgum, fœlix ubi Lymicus altas
Spectat utrinq́; plagas, geminoq́; è littore regnat.
Vltima Cimbriacæ concedit portio terræ
In Boream: miſeris ubi Scaga laborat arenis,
Et ſibi ſquammigeros bimari legit æquore piſces.
Cui latus oppoſito Nortuegia limite rupes
Obijcit aërias: medijs ubi tractibus alto
Oceanus noſtrum ſe gurgite fundit in orbem:
Cimbriacumq́; ſinum concluſaq́; & æquora gignit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

At Cherſoneſi pars altera uergit in Auſtrum
Et notijs multum ſua commoda flatibus auget.
Germanos imitata ſonos, ubi plurima lætas
Pectoris humani ſolertia condidit urbes.
Multa autem toto circumiacet Inſula ponto:
Quæ tenui plerunq; freto diuulſa, tumentes
Oceani fluctus & acerbas ſuſtinet iras.
Quis ſale perfuſam Leſſum, quis Anhaldica neſcit
Littora, quis magnis agitatam motibus Helmam
Aut teretes Alſæ non nouerit incola ripas?
Sed quorſum feror? hæc noſtri uetus una doloris
Cauſa fuit, magnis plerunq; hac rura tenebris
Mergier, at nullis celebrarier oppida Muſis.
Te uerò ſemper fœlicem Tybri putaui,
Cui fortuna fuit gratis ſuccreſcere ripis,
Et ueterum monumenta ſequi: quibus omnis in unum
Incubuit natura bonum: clareſcere factis
Fortibus, & meritis ea facta dicare Camœnis.
Nos aliæ uerſant ſortes. fluit altus in æquor
Gudius, & nullos è curſibus auget honores.

T. *Deſine tam triſti percellere pectora queſtu,*
Et tua fata cape. non omnis in omnia ſemper
Alueus arua fluit. res eſt comperta uaganti
Cedere nonnunquam conſueta uolumina riuo,
Mutariq; ſitus, alioq; ſub æquora lapſu
Impelli fluuios leuibusq; recondier undis.
Sic aliàs aliud gignit fortuna. Vetuſtas
Extulit ingenio noſtras gratiſſima ripas
Et florere ſacris uoluit mea regna Camœnis:
Cum fatum cœlo ductum foret: unus Olympo

Iuppiter

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Iuppiter hanc ſortem diuiſaq; tempora uoluit.
Nunc fortaſſè tuos etiam noua ſidera flexus
Ingenijs ſubdent: teq; hæc iniuria tandem
Deſeret, ac ſero potes inclareſcere ſcripto.
Viuitur ingenio tantum. non arma, nec enſes,
Non latè fuſis Victoria gentibus, auri
Maſſa, nec incerta memorandi laude triumphi
Imperijúe decus celſæúe palatia Romæ,
Vindicat interitu facti genus. Vnica caſtis
Res ea diuino ceſsit Iouis ore Camœnis.
Hectora quis ſciret, qui non & ſciret Homerum
Ingenio cuius non tantum uiuit Achilles,
Sed currus, ſed equi, ſed Pelias haſta ſecundo
Maiorum certè uincit ſua tempora plauſu.
Nemo equidem eximio uatum fraudatus honore
Ingenijq; bonis, claræ eſt uirtutis adeptus
Præmia: quantumuis uel fortia facta, Deorum
Aemula perfecit, uel magnos uincere poſſet
Aut æquare uiros, faſceſq; inſcribere facto.
Hàciter æternis conſtrauit honoribus aula
Iſta Deûm. cœlum ingenio Soliſq; meatus
Suppoſuit Pallas, uera & dat laudat potiri
Et procul in ſeros mittit ſua dona Nepotes.
Magna equidem ſacros premeret caligo labores
Et tenebris mundus cæcaq; fatiſceret umbra:
Aurea Caſtalides ſi non & lumina Muſæ
Barbariem oppugnent: aut ſi non cœlica tantam
Ipſa quidem per ſe ſeruarent numina lucem.
Non hæc humanis conſiſtit uiribus: acre
In Muſas certamen alit ſtupidiſsimus orbis

Profligatq́ deas, mergitq́ ea culta tenebris:
Ni Deus & magni non uicta potentia cœli
Impediant tantos magna uirtute furores.
Vſq; adeò minimum ſapiunt mortalia. quà ſe
Exitio inuoluant, mirum eſt qua mente quibusq́
Artibus excellunt. Aſt quà uirtutibus inſtent,
Et ſua diuinis adiungant commoda rebus:
Hîc equidem cæcis oculis, & pectore cæco
Omnia menſurant. nihil eſt ſuaſiſſe benignè:
Deſipiunt prorſus, nec ſe monitoribus addunt.
Iuppiter ipſe igitur Muſas ſuſtentat: & illas
Vir bonus ingenuo ſtatuit ſibi more colendas:
Quòd ſanè ingenijs ſubmittant ſecula faſces,
Et uatum ſtudijs applaudant ſidera. nec te
Præteritum deinceps neglectaúe rura querare,
Ignotosq́ bonis te ferre ſub æquora curſus.
Id ſaltem moneas, cum ſis Deus: accola ripis
Vt ſua diuinæ coniungat uota Mineruæ:
Et Vates colat, ac ſacris ferat aurea Muſis
Præmia: nec fœdo laceret noua dona labello.
Optima res homini eſt aut nunquàm naſcier: aut ſi
Naſcier, hanc equidem florenti è carmine laudem
Ducere: ut è ueris poſtquam uirtutibus æuum
Auxerit, æternis ſit pars & fama Camœnis.

Hæc ſuper Arboribus Fluuijsq́, ferisq́, uagisq́,
Alitibus cecini: duris quo tempore bellis
Inuiſas Fridericus opes, & culmina regni

Sectatur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Sectatur fugientis: ubi omnes Suecia uires
Viribus oppoſuit ſtudiumq́ eludere certat.
Colloquijs equidem tum pectora talibus, & me
Mulcebam dictis, quæ mutua fundere poſſent
Aut fluuij, aut ſtirpes, aut grato animantia ſenſu.
Cum mihi decurſum properarit terminus æuum,
In cineresq́ dabit reſolutos corporis artus:
Parte tamen meliore mei coniunctus Olympo
Aſpiciam noſtri florere palatia regni.
Tum uerò, ſi quid perituro reſtet ab orbe,
Diuinos inter referat me fama Poetas,
Noſtraq́ perpetuo monumenta inſcribat honori.

ΤΕΛΟΣ.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

BASILEAE, EX OFFI-
CINA OPORINIANA, ANNO SA-
lutis humanæ M. D. LXXIII.
Menſe Februario.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

XXX

CIMBRII ERASMI MICHAËLII LÆTI

Rerum Venerearum Libri Duo

AD

Sanctiſsimum Patrem N. N.

PONTIFICEM Roma: MAXI:

Hafniæ

1581.

Inchoa: in prædio nro Anversi 2 Julij Anno 1581.

Absol. Hafniæ Danorum inter 9 et 10 vespert: 13 Novemb: Anno 1581.

Videram propriam eius manum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Kolingſund 245. Fævil mra pabia. 247.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 666 4° copy 1